
VITA B. IOANNIS CHISII SENENSIS ORDINIS EREMITARUM S.P. AUGUSTINI ALEX...

Niceforo Sebasti




NAZ. CENTR.
204
11 C
19
R. BIBLIOTECA
VITT. EMAN. II
ROMA





VITA
B. IOANNIS CHISII
SENENSIS
ORDINIS EREMITARVM
S. P. AVGVSTINI

ALEX. VII. fel. record. Gentilis.

Poetico calamo adiectis Hypomnematibus delineata:

A R. P. Fr. NICEPHORO SEBASTO

Eiusdem Ord. ac Neap. Coll. S.T.M. Archiepiscopalis ibidem Curiæ pro Em. Card. Caracciolo Archiep. Exam. Synod. S. Officij Regni, ac Indicis de Vrbe Consultore.

Accesserunt in hac altera editione ab Auctore recognita, & in paucis aucta, D. Angelæ Chisiæ eiusdem B. Io. Neptis, & Ord. Sanctimonialis Vitæ Synopsis, & Epinicia ad ALEX. VII. in Epidemiam ab Vrbe profligatam.



Romæ, Typis Michaelis Herculis Anno Iubilei 1675.

Superiorum permissu.

Iterum imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P.Mag. Sac. Pal. Apost.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur,


Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Mag.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FLAVIO

S.R.E. CARDINALI

CHISIO.



VM primùm ex Parthenopeis oris ad hanc Vrbium Reginam me contulissem, diuinam Dei clementiam hoc fausto Iubilei anno impetraturus, quam ALTERIA SIDERA clementi admodum, benignòque impertiuntur influxu, statui, Card. Emin. etiam prælo mereri in edenda Vita Beati Ioannis Chisij Gentilis Tui, quam Typis mandare Viri non pauci pietate, ac doctrina conspicui me sæpius suis precibus impulerunt. Romæ primò huius B. Vitam in lucem emisi, & Alexandro VII. (cuius memoria in benedictione est) *magno Patruo Tuo, & B. Ioanni Chisio Agnato suo,*

& vitæ integritate, & assidua mortis in vita meditatione, Chisijque generis splendori non absimili, sanè meritò dicatam volui; cui affabrè est illud Poeticum:

Quœris Alceide parem?
Nemo est, nisi ipse.

Nunc vltimò iterum Romæ eiusdem Beati Vita in lucem prodit, & ad Te, quia in Te, Card. Emin; eximia illius animi ornamenta, & egregia virtutum specimina suam fixisse sedem videntur, veluti riuus suum ad fontem redit: vnde mihi dubium non est, Card. Emin; quin læto, benignòque vultu illam excipies. Vnum tantum à Te enixè rogo, precòrque, ne minori animi benignitate, qua pridem Patruus Tuus Alexander VII. Christianorum dignissimus illam à me oblatam excipere non est dedignatus; ita futurum sperat hæc Tui Beati Vita, speràtque tota nostra Augustiniana Religio, quam Tu Maiorum Tuorum exemplo tanta beneuolentia cõple-

plecteris, ac deuotus innumeris beneficijs prosequeris; neque exempla multa hìc congeram ad veritatem hanc firmandam; patent quidem clarissimè Tua, Tuorumque, ac Tui pientissimi Patrui Alex. VII. illustria pietatis monumēta, dignissimis ornata Elogijs, posterìsque cōmēdata, almo in nostro Deiparæ Virginis de Populo Templo, & mille alia his non minus illustria Iliceti, Senis, Tulphis, ac plurimis in alijs nostræ Augustinianæ Religionis Templis, quæ, quanto inclyti Maiores Tui in eādem propenso fuerint animo, amore, & charitate, satis, superque ostendunt; idcirco aliquod mei amoris symbolum pro ea Tibi exhibere in votis semper habui, idquè non aliter, quàm huius oblatione munusculi testatum volui, cui ne id, quod est affectu, cultùque erga Te longè maximum, perexiguum videatur, addere visum fuit in hac alia editione D. Angelæ Chisiæ, eiusdem B. Ioannis Neptis, nostrique itidem Ordinis Sanctimonialis Vitæ Synopsim,


& Epinicia ad Alex. VII. in Epidemiam ab Vrbe profligatam, cuius charitas Peste grassante in Vrbe, adeo effulsit suos erga ciues damnosa lue infectos, vt hanc à me exigeret commendationem; æquum profectò erat, ne intra vnius Vrbis ambitum concluderetur charitas illa, quæ totius Orbis applausum merebatur, & quæ vniuersis animarum Pastoribus in exemplum proponenda erat. Hæc itidem in sinum Cardinalitiæ tuæ Purpuræ cōuolare ambiunt, nec minori animi beneuolentia, qua B. Ioannis Tui Vita pergrata Tibi, futurum esse sperant, speratque Romæ ex August. Cœnobio hac die 19. Septembris Anno Iubilei 1675.

Emin. Tuæ

Addictissimus

M.F. Nicephorus Sebastus Melissenus
Ord. Erem. S. P. Aug.

S.D.N.



S. D. N.
ALEXANDRO
SEPTIMO
PONT. OPT. MAX.



INDECENS erat profectò (Beatiſſime Pater) ſanctos tuos deoſculaturum Pedes, ſine aliquo redoſtimento accedere; exiguum ſanè munus ALEXANDRO foret vnius Orbis donum; id autem cuiuſque Religioſi vi-

 ribus

ribus impar. Itaque tenui voti mei operæpretium ratus dignius nihil Tibi me oblaturum credidi, quàm Beati Gentilis Tui IOANNIS CHISII Vitam, poetico prodromam calamo depictam; qui non immeritò virtutum, & monasticæ perfectionis exemplar absolutissimum, & priscis Thebaidos Anachoretis à multis copiosè, à nullo satis celebratus, non absimilis. CHISIORVM Stemmati tantum debetur decus, vt quòd innumeros penè Toga, Sagòque insignes protulerat Heroes, Beati Viri sanctitate totum Terrarum Orbem, Tibiquè deuotam præsertim Augustini familiam, virtutum omnium splendore ad immortalitatis gloriam illustraret. Hinc innata Sanctitati Tuæ pia grati erga Augustinianos animi voluntas, quæ in faustis Pontificatus Tui primordijs liberali manu, in Deiparæ Virginis de Populo restauratione cunctis effulsit,

fulsit,

fulsit, vbi illustres, ac deuoti CHISII agnati Tui terrenarum exuuiarum quietem sibi elegerunt; nec minus Iliceti, quàm Senis in Augustinianorum Templis dignum sibi tumulum statuerunt, & perennem. Sed maior animus superest, qui in Beati Thomæ Villanouani Apotheosi innotuit; id nedum Christianus Orbis, verùm & Augustiniana Religio, Hispani omnes, immo & Serenissimus PHILIPPVS IV. Regum pijssimus sperant, vota, precèsque ingeminant. Hinc etiam de D. ANGELA CHISIA Sanctimoniali, Ordinis nostri ornamento, & Beati IOANNIS huius Nepte insignem heroicarum virtutum periodum adderem, ni vererer in vtriusque encomia effusior, & in Tua, Religiosum Tuæ Sanctitatis animum, ac modestas aures offendere; satis famigeratum est CHISIORVM nomen apud Italos, satis, supèrque à Paul-

lo

lo Iouio, Petro Bembo, Iulio Cæſare Scaligero, Petro Aretino, Hieronymo Borgio Epiſcopo Maſſæ Lubreñ. Ferdinando Furſtenbergio, Ioanne Baptiſta Maſculo noſtri æui Horatio, Scriptoribùſque clariſſimis alijs celebratum, vt meo calamo non indigeat; hinc manum è tabula.

Romæ ex Auguſtiniano Aſceterio Kalen. Maias Anno ſal. reparatæ 1656.

Sanctitatis Tuæ

Humillimus Seruus

M.F. Nicephorus Sebaſtus Meliſſenus
Ord. Erem. S. P. Aug.

AD

AD
ALEXANDRVM VII.
PONT. MAX.

De Priſcis eius, & illuſtribus genethliaci ſtemmatis titulis, & promiſcuis Vrbis cum B. IOANNE CHISIO, eius affini plauſibus.

EPIGRAMMA.

SEnenſi veneranda ſolo Gens CHISIA fulget,
Quam priſcæ decorant nobilitatis Aui.
Ardingheſca olim, & Comitum inſignita coronis
Floruit, hinc armis, hinc ditione potens.
Illa ſuos dedit Heroes clareſcere Mundo,
Quos longa in ſerie ſæcula ſera canent. (ni
Plaudit ALEXANDRO, & præclaro Roma Ioã-
Et geminum in Cœlo nomen, & Orbe colit.



AD

AD EVNDEM.

De Restauratione Templi S. MARIÆ DE POPVLO, Ord. Erem. S. P. AVGVSTINI; in quo eius gentilitium Sacellum per AVGVSTINVM CHISIVM extructum emicat.

EPIGRAMMA.

HIc vbi de Populo veneraris Virginis Aedē,
Nux fuerat, sub qua busta Neronis erant.
Hic Stygis Vrbanas vexabant agmina gentes,
Paschasius cæsa sed nuce monstra fugat.
At modo ne desit grata spatiantibus vmbra
Arbor, ALEXANDRI Quercus amica viret.
Sanctàque bisseno exurgunt fundamina Monte,
Queis sacer æterno Sidere fulget apex.

HYPOMNEMA.

QVi hæc, pluráque alia de hoc nobilissimo Templo scire auet, adeat, & legat Ambrosium Landuccium Sacrarij Apostolici Præfectum, Episcopum Porphyrien. ALEXAN-

DRI

DRI VII. Pont. Max. Sacelli Asſiſtentem, *in Origine Templi Sanctæ Mariæ de Populo de Vrbe*, Italico idiomate conſcripta, & Romæ in lucem emiſſa; quod equidem Templum pia, & ſtricta Religionis obſeruantia à Patribus illius Aſceterij colitur, quorum Religioſus, & indefeſſus animus à primæuo inſtituti feruore ad hæc vſque tempora viget, vigebitque.



A D

AD EVNDEM.

De eius animo ALEXANDRO non impari, quoad Vrbem nuper Serenissimam CHRISTINAM Succorum Reginam excepit.

Cum allusione ad vtriusq; Insignia, ex quibus Aurea Mundo sæcula aduenisse accinit.

EPIGRAMMA.

AVrea mutato redierunt sæcla metallo,
Et fato Cælum nobiliore nitet.
Venit ALEXANDRI *Cereris pro munere Quercus,*
Bissenòque caput porrigit alta iugo.
Exornata nitens illustrat culmina Sidus,
Et sacro fortes præbet ab axe faces.
Nil desit, CHRISTINA *suos expromit aristas,*
Aurea vt in Terris vndique sæcla fluant.



VITA

VITA
B. IOANNIS CHISII
SENENSIS
Ord. Eremitarum Sancti AVGVSTINI,
ALEXANDRI VII. Pont. Max. Gentilis.
SACRAE ILICITANAE, ET
Vallis asprensis Eremi Origo.

CAPVT PRIMVM.

PRAEFATIO.

ILicis Ansani syluam tenuere Sodales
Primi, quem Senis Lyssias ense necat.
Queis Mediolani Augustinus fonte renatus,
Ad nemus occurrens dogmata sacra dedit.
Post rigidam lustrat Vallis asprensis Eremũ,
Cui primę Blasius struxerat Aedis opus.
Hic Augustini est vestigia sancta secutus,
Hic meruit superas dignus adire domos.
Vtraque postChisiũ Cœlo produxit Eremus,
Vtraque,quo lõgum nomen Eremus habet.

HY-

HYPOMNEMA.

DE gemina iſta Eremo virorum ſemper ex quo coli cæpta, non doctrina modo, ſed & ſanctitate celebrium longè feraciſſima; vide Mart. V. *Sermones ad Fratres Auguſt. de Ttanſlat. Sanctæ Monicæ.* Aegidium noſtrum Card. Viterb. *In Panegir. Ilicit. apud Bonſig. pag.* 10. Franc-Rap. *Lima ſpirit. pag.* 32. *part.* 2. Lugurtam Tomaſ. *part.* 1. *Hiſtor. Sen. pag.* 5. de qua etiam geminam habes deſcriptionem, alteram vincta, alteram ſoluta delineatam oratione ad Vallisaſprenſis Eremi Templum, quam Patres illius æui in grati animi teſſeram poſuerunt, quarum prima, quæ ad illius atrium extat ob ſenij ſquallorem quædam in metris deleta, ac vetuſtatis rigorem abſumpta, nuper ab ALEXANDRO VII. Pont. Max. Vatè Chriſtianorum digniſsimo iniuſtam carminum ſymmetriam redacta ſunt, & innouata, vt infra maioribus pauló characteribus notatum inſpicies.

ADebat Chriſti bis ſeptem luſtra trecentis
Annis mendaces Roma peroſa Deos,
Sceptra Valentinianus habebat COESARIS, ATQVE
Damaſus in Petri ſede locatus erat.

Cum

Cum Sanctum hoc Blasius desertæ cultor Eremi,
Diue Tibi Antoni spontè dicauit opus.
ANNO SUB TALI, dum Principe lætus vtroque
Per quartum Nonas Maias agebat iter.
Id pius Antistes Donatus RITE sacrauit,
Ut pura hic Sanctus POSSET IN ÆDE COLI.



BEATI IOANNIS
Patria, & Natales.

I I.

(nem,
SPlendida præclarum terris datSena Ioan-
Quæ Tuſcas Vrbes nobilitate præit.
Nec minus inſignes ſortitur in Vrbe Parẽtes,
Illuſtres armis, conſpicuòſquè toga.
Queis Maciareti ditio per ſæcula nomen,
Aeternùmque dedit poſtera Fama decus.

HYPOMNEMA.

MAciaretum Caſtrum eſt, olim CHISIORVM ditioni ſubiectum, vbi CHISII inhabitare conſueuerant, vt & cæteri nobilitate pares in Caſtris ſuis, antequam in potentioris Reip. formam Senas ſeſe redigerent; cui etiam dominio, pleraque annexa fuiſſe Oppida,& Fanum poſtea Herculis adiunctum, populi illius annales teſtantur. Nec ſolùm Caſtris potentes extitere, ſed etiam domi, foriſque illuſtres, & quod nobiliori elogio dignum, Summis Eccleſiæ Hierarchis ſemper inter paucos cari, ac præcipuè Iulio II. eique quàm *Sigiſmundus Chiſius* in pre-

tio fuerit, ex adiecto eius monumento, quod Romæ extat in CHISIORVM Sacello ad Templum S. Mariæ de Populo, liquidò videre est.

Sigismundo Chisio,
Equo Com.
A Iulio II. P.M. in Gentem
Rouercam cooptato,
Marius, & Augustus Chisij,
Proauo B.M. Ob. anno D. CIↃIↃXXVI.

Hic in medium proferrem *Augustinum Chisium* Sacelli Fundatorem, ac de eius animo verè Basilico dicerem, ni eiusdem inscriptio ibidem posteris id commendaret.

Augustino Chisio,
Senensi,
Viro illustri,
Atque magnifico,
Sacelli huius fundatori,
Qui obijt, anno Domini CIↃIↃXX.

Hanc itidem priùs *Augustini Chisij* munificam, ac summam animi liberalitatem præclarè Scaliger (vbi Heroes collaudat) posteris adiecto Elogio commendat.

Priuatus Reges superat; spes præuenit omnes
Quæque facit Populus; maxima vota Dei.
Hunc magnum, ast vnum fecit fortuna petentem
Hic omnes, etiam qui bona nulla petunt.
Scribens deficio, dando non deficit. Vnum
Hoc sat habet; si se scit retinere sibi.

Supra ſepulchralem lapidem ante eiuſdem Sacelli aram notatur annus hoc ab Alex. VII. non vulgari, ſed Chriſtiano digniſſimo Elogio; *Mors aD CæLos Iter*. Ad quod alludens, & ad BEATVM IOANNEM CHISIVM, de eius aſſidua in mortem meditatione, in qua & trophœi loco cranium manibus geſtantem publicis in picturis delineant, adiectum diſtichon ſcripſi.


Hic mortem meditans mortales exuit artus
AD CæLos Chiſio Mors patefecit Iter.

Mitto cæteros CHISIORVM Heroes hic recenſere, quia Lybicas eſſet arenas enumerare.



ADO-

ADOLESCENS PAVLO vixit liberiùs.



III.

CAelesti Chisius fuerat nutritus amore,
Hauserat & mollis dogmata culta Puer.
Creuit amor tamē in vitio crescētibus annis,
Monstrata ad culpas orbita sponte trahit.
Vtque vua aspecta liuorem ducit ab vua,
Sic iste exempli ducitur arte mali.

HYPOMNEMA.

B. IOANNES in primo illo, & præcipiti Adolescentiæ æstu per impudicos saltationū ludos, & Gaditanas plusquam mimorum nequitias, quas tanti fecerat insana vetustas, ac professa est quæ nil profectò, nisi puram, certàmque morum corruptelam inducunt, paulò abreptus est. Nec sibi forsan dixisse putauerat quod & cæteris adolescentibus ad benè, sanctèque viuendum S. Hieronymus *Epist. de Instit. fil.* præceperat, vbi sic: *Nihil Adolescens, aliud discat audire, vel loqui, nisi quod pertinet ad timorem Domini, turpia non intelligat,*

cantica mundana ignoret , adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit lasciuia puerorum puellæ , & pedissequæ ab eorum consortijs arceantur. Venationibus , & aucupijs præcipuè totus erat, neque alia posita prætexta videntur illi curæ fuisse, promiscuum nobilitatis lenocinium , quæ adeò in hisce illecebris vitæ spatium traducit, vt malit in agris , & syluis agere , quàm vrbanis assuescere studijs , & philosophantem suis de Ideis Academicorum Principem , Colophonium Vatem suam accinentem Iliada , Tullium ad rostra orantem, Cæsarem denique de vtroque Solis cardine Romæ triumphantem , venantes potius sectari gauderet.



EIVS-

EIVSDEM MIRABILIS ad Religionem conuersio.

I V.

(tum,
CVm sensit supero Chisius se flamine mo-
Deserit impuras corde gemente faces.
Secretàmque petens Vallisasprensis Eremũ,
Nigra Augustinì corpora veste tegit.
Hìc rigidam ducens diuturno tempore vitam,
Horrentes spinas credidit esse rosas.

HYPOMNEMA.

MIrabilis autem BEATI huius ad Religionem conuersio decimo octauo ætatis suæ anno accidit, Domini millesimo trecentesimo decimo octauo, qua tempestate bono, rectòque Genio duce ad Sancti Antonij Vallisasprensis Eremum Patrum Augustinianorum CHISIÆ ditioni subditam, sancto fratrum excitatus exemplo se contulit, à quibus ad Religionem exceptus, religiosam vitam, (Anachoretarum rigoribus non absimilem) assumpsit, traduxit, consumauitque. De hac admirabili B. Ioannis vocatio-

 ne

ne, qua bono Genio duce, & comite ad prænominatam S. Antonij Vallisaſprenſis Eremum ſe contulit, adiecta carmina ſcripſit quidam Anonymus Poeta.

I, quo Te melior Genius vocat, i pede fauſto,
Sentes, quos horres, experiere roſas.
Et dices, quod in hac quiſquis ſpatiatur Eremo
Nil niſi mella bibit, nil niſi nectar edit.

De hac itidem admirabili B. IOANNIS CHISII ad Religionem vocatione à Patribus noſtri Cōuentus Coloniæ Agrippinæ ſubiecta carmina etiam habes.

I, quò Te ducit Cuſtos, nam ſerta roſarum,
Si Mundi ſpinas deſeris, aſtra dabunt.
Nec ſterilem metuas callem, quia Numen Eremi
Ciuibus in fruges, nunc quoque Manna pluit.



GRA-

GRAVISSIMIS TENTATIONIBVS

Dæmones B. Ioannem multoties adorti ſunt.

V.

CHiſius in ſpinis humeros,pectùſque vo- (lutans,
Idaliæ riſit bella nefanda Deæ.
Sic fregit victor tumidæ certamina carnis;
Saxea de molli corpore membra probans.
Si Magno fruitur Benedicto Nurſia Patre,
Poſſidet huic Chiſium ſplendida Sena pa- (trem.

HYPOMNEMA.

DE *Sancto Benedicto* Nurſino Patre ſe nudum inter vepreta volutante, vt turpes vinceret appetitus, vide latiùs in eius *Vita*; quos non minus fortiter extinxit, ac generosè oppreſſit B. IOANNES CHISIVS, corpus ea inter volutando, dum immunditiæ ſpiritu ſe à Dæmone tentatum ſenſerat, ſicquè hoſtem ſibi iugulum dare coegit, atque ab omni telo, & flamma cupidinis liber, & victor extitit; Trophœum hoc mirandum etiam adiecto carmine

mine æternitati adſcripſerunt Patres Conuentus noſtri Coloniæ Agrippinæ ſub quadam eiuſdem B. Imagine Antuerpiæ ære inciſa, vbi ſic.

Chiſius, infames vrunt cùm pectora flammæ,
Et pectus ſpinas, & latus inter agit.
Nempè Venus mollis negat hac certare palæſtra,
Et viſo ſimili turpiter Hoſte fugit.

Quare dubitandum non eſt, quòd patrato de ſtygio Hoſte triumpho B. Ioannes magnas non ſibi in Cœlo comparauerit adoreas; *Profectus enim noſter*, vt optimè teſtatur Auguſtinus ſuper Pſalmum, *per tentationes fit, nec ſibi quiſquam innoteſcit, niſi tentatus, nec poteſt coronari, niſi vicerit, nec poteſt vincere, niſi certauerit, nec poteſt certare, niſi inimicum, & tentationes habuerit*. Porrò de *Sancto Benedicto* ſe nudum inter vrticas volutante, cui ſimilem B. IOANNES ſe præſtitit, adiectum Epigramma addere par erat.

Nurſinus Veneris caſto ſub pectore flammam
Senſerat, & diro membra calere foco.
Abycit extemplò pullas è corpore veſtes,
Et ſpinis pronus membra pudica domat.
Flamma potēs fuerit quamuis, ad ſanguinis vndam,
Innocui fugiens victa repente ſtetit.

Secus

Secus verò *Sanctus Bernardus* tanti Patris in monachali instituto præcipuus assecla, & *Sanctus Franciscus de Assisis*. Funigerorum institutor clarissimus; qui à turpi Cupidine itidem impulsi, vt æstuantes eius opprimerent appetitus, ille in gelidum se flumen immersit, iste verò in horto media hyeme in niuē se proiecit. Hic, quia pagella locū præstat, etiam addere visum fuit subiecta carmina, quæ de præclaro eiusdem certaminis trophœo, patrato de stygio Hoste à B. Ioanne, se fortitèr inter spinas volutando, prænominati Patres nostri Conuentus Coloniæ Agrippinæ sub alia eius Imagine ære itidem insculpta egregiè scripsere, vbi sic:

Chisius impuro Veneris dum carpitur igne,
Spinarum iaculis munit vtrumque latus.
Sic potuit dumis extinguere Dæmonis æstus,
Nam medijs arsit vepribus ipse Deus.



SENIS LOCATVR, VBI PLVRIMA perfectionis Religiosæ signa exhibet.

V I.

(mum
PRæsulis imperio Ilicetanam linquit Ere-
Et patrij repetit tecta superba soli.
Hìc sanctam claris vitam virtutibus ornat,
Et gelida recubans corpora vexat humo.
Vilia dùmque sui Conuentus munia obiuit,
Senensi meruit maius in Vrbe decus.

HYPOMNEMA.

EA animi alacritate, ac promptitudine B. IOANNES vilia Conuentus munia, cùm à Superiorum imperio iniungerentur, obiuit, vt potiori iure, quàm *Philosophus* ille exclamare posset: *Semper magis volo quod Deus vult, quàm quod ego. Adiungar, & adhærendo illi velut Minister, & assecla, cum illo appeto, cum illo desidero, & simpliciter, atque vno verbo; quod Deus vult, volo*. Quod autem Deus vult per Superiores iubet, mandàtque: hinc B. IOANNES; quod Superiores volunt, volo iterabat, idquè sine tergiuersatione subire, & sine murmuratione adimplere enixè studebat. Sed hac non tantum vir-

tute

tute effulsit, verùm etiam & alijs innumeris, quibus ceu gemmis prætextam suam ornauit, Senis dum ageret in nostro August. Asceterio; præsertim ferijs ieiunalibus, præter cibarium panem, & fontanam, nihil assumebat; alijs, cibum parabilem, atque obuium; eisquè assiduas addebat preces, quas in Capitulo, cùm cellam, tum ob loci tenuitatem, cùm ob eiusdem ædificationem, non haberet, affatim effundebat; nullum ibidem erat molle peristroma, aut decubitorius lectus; tenerum durus lapis fulciebat caput, inuiolatæ semper castitatis puluinar, sed tantùm nudum scamnum, quo desuper attritò, laceroque habitu coopertus, recumbebat; grauis autem hæc ei pœna voluptas erat. Extra Asceterij septa nunquam visus est, nisi per vicos cũ mantica cursitaret, & ostiatim eleemosynariam stipem quæreret, colligerètque, quo in mendicitatis officio, nedum Vir nobilis, & in diuitiarũ affluentia enutritus, non erubuit, sed quod magis mirare, religiosæ vitæ exempla præ se tulit.



B. IO-

B. IOANNES AD DEVM extremè indigens confugit.

V I I.

INdiga cùm Senis Chisiũ vexaret egestas,
Deuoto Cœli corde requirit opem. (set,
Aptiùs haud poterat cui vota, precèsq: dedis-
Ni per quem currunt astra, fretùmq: Deo?
Qui cunctas nutrit, pascitq; per æthera Cœli,
(Nulla licet detur cura salutis) Aues,

H Y P O M N E M A.

ALludit ad illa verba Christi Domini Matt. *c.6.* *Respicite volatilia Cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa*; ad quem non immeritò in sua egestate confugiens B. IOANNES summis precibus diuinam opem implorabat, vt propriæ succurreret indigẽtiæ, à quo voti cõmpos factus, mirum, & amplum in se diuinæ prouidentiæ sensit beneficium; cuius ad Deum hæc vna frequens erat Oratio, *Domine Deus supplex, & ex animo primum à Te peto, uti flagitia, & quæ aliàs impiè admisi, mihi benignè remittas; dein, si quid vel nimis confidenter, vel minus debitè tuam fortè venio hic maiestatem hodie rogaturus, uti te-*

meri-

meritatis istius me absoluas,neque id, quidquid erit; pro postulato habeas, qui ne vitrea fracta mihi donata cupio, quæ Tibi grata, acceptaquà non sint. Quid diceres? Nec Gregorius feruentiùs, nec Ambrosius doctiùs, nec Augustinus profundiùs, nec Hieronymus humiliùs, nec Bernardus dulciùs, ad Deum suas effunderet preces. Quid mirum, si Cælum in qualibet naturæ indigentia sibi auritum redderet, & in se diuinas sæpè degustaret suppetias? Et recentiori æuo S. Caietanus Thienæus Ord.Cler.Reg. Fundator illustris, nuper quà meritissimè à Clem.X. P.M. Sanctorum fastis adscriptus,non secus,ac B.IOANNES in sua egestate ad Deum confugiens, & se totũ diuinæ Prouidentiæ commendans, non minora ab eadem in se beneficia degustauit; quam sibi, & suis etiam Alumnis maximi,& sanctissimi Parentis exemplo, & præcepto, non humanæ, sed diuinæ soli Prouidentiæ piè admodum inhærẽtibus, nunquam defuisse, aliquando miracula comprobarunt, vt videre est apud Patrem Iosephum Silos Bituntinum *in Histor. Cler.Reg. p.1. lib.7.pag.*270. ab eo exarata,& Romæ Typis Vitalis Mascardi edita Anno Iubilei 1650.



HA-

HABITVM A DEO miraculosè impetrat.

VIII.

(nem
ADspexit Christus lacera cum veste Ioan-
Hibernumq; pati mollia membra gelu.
Adstitit extemplò ignotus sub imagine; terq;
Largitur nummos, vt sibi tegmen emat.
Martini veterem Christus de corpore vestem,
A Christo Chisius iactat habere nouam.

HYPOMNEMA.

HAnc historiam vide latiùs in vita S. Martini, Vbi Christum habes ei dicentem; *Martinus cathecumenus hac me veste contexit*. Non secus B. IOANNES tribus aureis miraculosè acceptis, quibus habitum sibi coemerat, eadem ferè verba, quæ Christus in Martinum, in Christum iterare poterat; *Christus hac me nudum veste contexit*; Id autem B. IOANNI, eo orante, & habitum à Deo efflagitante, accidit, quem siue propter temporum aspetitatem, siue propter extremas Asceterij sui angustias, haud firmè alio pactò putabat, se in eo rerum cardine ob-
ten-

tenturum; at Deus, qui vſque, & vſque ſuorum curam gerit, precibus ſui famuli libenter, & benignè annuit, quem ſimul, vt adiuit, his verbis affatus eſt; *Hos paucos nummos Frater, pro illius, quem colis amore, in tuum vſum, ac neceſſitatem à me quæſo lubens, volenſquè iam nunc accipe*; quibus vix prolatis, feſtino confeſtim pede, ab eo receſſit; ſtatimquè B. Vir producto nummo ſibi ab eo donato, acceptàque à Priore benedictione, Ordinis habitum, cuius mirum in modum egebat, acturum ſibi comparauit. Magnum, ac rarum diuinæ Prouidentiæ argumentum; ſicut de ea benè ſpectantis ſingulare Religioſiſſimi Viri teſtimonium, quòd accidiſſe fertur Senis anno circitèr 1332.



TICINVM A GVILELMO Cremonensi Priore Generali mittitur.

IX.

(lelmus,
PErspecta in Chisio vitæ integritate Gui-
Ticinum propero mandat adire pede;
Haud equidem sine mente reor, sine numine Diuum,
Iussa illic Patribus, nàm mage stricta dedit.
Si Cœli aurati, Augustino dicitur illic
Aedes, à Chisio gloria tanta venit.

HYPOMNEMA.

SAcra nostra Augustini Ædes Ticini, vbì tanti Patris exuuiæ Religioso cultu asseruantur, *de Cælo aureo* vocitatur, quod omnibus planè liquet; ad quam B. IOANNES à summo totius Ordinis Antistite transmissus, nè illic Religiosi, à religiosa viuendi orbita minimè deflecterent, adeò suis, & pietatis, & virtutum exemplis confirmauit, vt ad primæuam, & rigidiorem à Sancto nostro Ascetarcha datam viuendi normam penitus reduceret.

DIVI.

DIVINITVS DVORVM Martyrum ſepulchrum agnoſcit.

X.

EXuuias Diuũ, venerandaq; buſta requirẽs,
Inuenit Chiſius contumulata ſolo.
Arcanũ hoc magnũ (Cœlo monſtrãte) retexit,
Namq; Deo mente, & corpore totus erat.
Magnus honor, nam ſic detecta cadauera quondam,
Martyrio, Ambroſius, functa, colẽda dedit.

HYPOMNEMA.

MArtyrum nomina ſunt *Vitalis*, *&* *Agricola*; quorum corpora diù latentia à S. Ambroſio Dei monitu fuerunt inuenta, vt à Populo Chriſtiano deincèps iuſto in pretio, & veneratione haberẽtur, nec minus corpora Sanctorum Martyrum *Geruaſij*, *&* *Protaſij* eidem Sanctiſſimo Viro, Deoquè gratiſſimo Ambroſio Mediolani cœlitùs fuere detecta, de quo latiùs vide in Vita eorumdem; quæ pluribus recenſere non huius eſt loci. Martyrum verò nomina, quorum corpora à B. IOANNE CHISIO Ticini in ædibus

nostris August. repertà esse perhibentur, sunt *Marcus, & Robustianus* Fratres, quæ in Gentilitio Fiambertæ familiæ sacello digno cultu asseruantur, & cùm nulla habeatur de his certa memoria, nisi traditio, ea esse à nostro B. IOANNE CHISIO inuenta, creditur, hunc ei Thesaurum Deipara Virgine demonstrante, cuius ille viuens apprimè deuotus, quam in Virginem deuotionem in posteram CHISIORVM gentem miro transmisit incremento. Verùm, quo tempore hæc Sanctorum Martyrum Marci, & Robustiani Lipsana à B. Io. Chisio Ticini reperta fuerint nihil certum habetur, probabile tamen accidisse censetur Rep. sal. anno 1357 ita Patres Conuentus nostri Coloniæ Agrippinæ, & cæteri omnes, qui huius nostri Beati Vitam scripserunt.



SENAS

SENAS REVERTITVR, vbi humilitatis ſtudium ab initio Profeſſionis incæptum, magis excoluit.

XI.

(ta
EXpleta in clauſtris Chiſius trieteride ſexTicini, patrios optat adire lares.
Hic magis effulſit vitæ ſplendore nitentis,
Et mage deuoti ſpiritus arſit amor.
Maiorum iuſſis nunquam aduerſatus, vt eſſet,
Qui fuerat tota maior in Vrbe, minor.

HYPOMNEMA.

ALludit ad illud Christi Domini Matt.*cap.*20. ad Diſcipulos dicentis; *Quicumquè voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter Miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus*, cui B. ſententiæ ſe firmiter adſcribens illuſtres Maiorum imagines, & præclaros generis titulos, facilè contempſit, calcauitquè, & de tumidis ſpiritibus, & mundi illecebris, Senas præſertim, relicto Ticino, reuerſus, Pa-

triæ meritò deuinctus amore, quæ cunctos ad sui desiderium impellit, iuxta illud Ouidianum *de Tristib.lib.3.*

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

gloriosissimum per reliquum vitæ stadium egit triumphum. Est dictu impossibile, quo animi studio [hic] Dei seruus omnes ibidem virtutes sit amplexus, maximè humilitatem, quæ tamquam Hesperus, aut Lucifer inter sidera, [sic inter reliquas virtutes præcipuè effulget, vt præclarè de ea dixerit Seraphicus ille Bernardinus Senensis, *Serm.16. Humilitas est Magnes, quæ ad se attrahit cunctas virtutes*; Qua virtute duce, & comite cuius amantissimus extitit B. Io. Chisius vsque ad vltimam vitæ suæ metam celebris in Patria effulsit.



AR-

ARDENTEM QVOQVE charitatem erga infirmos ostendit.

XII.

CHisius vrbanis morbo patientibus ægris,
Quos sæpe inuisit dulce leuamen erat.
Mens generosa malos nunquã fastidit odores,
Immundos nunquam nauseat illa situs.
Quid mirum tanto Chisius si feruet amore,
Si Christo fuerat corpore gratus odor?

HYPOMNEMA.

ALludit ad illud D. Pauli 2. *Cor.2.d.8.* vbi sic habet; *Christi bonus odor sumus*; Quo factum est, vt B. IOANNES CHISIVS neque nauseam propter immunditias vllam, neque auersionem propter ægrotantiũ asperitatem, quos frequenter inuisebat, pateretur; cumquè tam sanctum; piumquè misericordiæ ministerium exerceret, sibi verè à Spiritu sancto dictum fuisse arbitrabatur, Prouerb. *cap 3.* vbi sic *Misericordia, & veritas te non deserant. Circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus*; Idquè tam prompto, tamquè alacri animo in infirmorum necessitatibus adimpleuit, vt nulli secundus non immeritò extiterit.

CONTEMPLATIONI FVIT summè deditus, & profundus in rebus diuinis.

XIII.

(tes,
VIx benè Palladias Chisius libauerat ar-
Vix benè Palladios nouerat ille lares.
Scripturæ tamèn arcana, & mysteria pandit,
Et quæ non didicit se didicisse probat.
Vnde putas tot doctrinæ manasse liquores?
Fontibus æternis; non aliunde fluunt.

HYPOMNEMA.

ETsi B. adolescens iste scholas, adeò non frequentarat, in prouentiori tamen æuo litteris imbui poterat, vt de S. IGNATIO LOYOLA SOC. IESV INSTITVTORE CLARISSIMO contigisse eius meminit Vita, & sic de alijs passim legitur, idquè B. nostri computa Ticini nuper reperta, & propria manu exarata, dum Sacristæ officio, & alijs Conuentus munijs fungeretur, testantur, hinc iure Sui illum in litteris versatum animaduertentes ad Sacerdotium promouendum optarunt, & sic Passionem legens obijt. Porrò cùm de S. Ignatio Illustrissimo

Soc.

Soc. IESV Institutore digna facta fuerit mentio, in eiusdem sancti Vita idipsum pridem me legisse memini, quod sicut B. IOANNES spinas inter nudum se volutauit, vt ardentes Veneris faces extingueret, sic ille in gelidum se nudum immersit lacum, vt Iuuenem à nefandis eiusdem Veneris spiculis compulsum liberaret; verùm tam rarum, & eximium Ignatianum in proximum amorem, adiecto carmine meam subit mentem expressisse.

Igneus hic oritur, superòque Ignatius igne
Pascitur, & media ferbuit ignis aqua.
Testis erat Iuuenis, quem dũ Venus improba vexat,
In rigido turpi seruat ab igne lacu.
Maiora in terris vidit portenta quis vnquam?
In media victrix flamma triumphat aqua.
Vnda dedit Paphiæ Vitam, nunc abstulit illam;
Quæ fluxit Genitrix vnda, nouerca fuit.



QVA-

QVATVOR IN B. IOANNE Chisio virtutes, præ alijs valdè admirandæ extiterunt.

X I V.

(tur,
FLumine quadruplici Paradisi prata rigā-
Quæ decorāt vndis Orbis vtrāq; plagā.
Sic & quadruplici Chisius virtute refulget,
Quadruplici Sanctus fonte rigatur amor,
Miraris tanta virtutum mole nitentem,
In terris totus, qui Paradisus erat?

H Y P O M N E M A.

INnuit ad illud Gen. *cap.* 1. *Et fluuius egrediebatur ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita*; quorum symbolo quatuor B. IOANNIS virtutes celebrantur, patientia scilicet, abstinentia, humilitas, & paupertas, quibus viuens maximè excelluit, & ad miraculum vsque emicuit; de patientia quid clariùs? Multoties enim ad quamlibet aduersantis fortunæ faciem immoto, & inexpugnabili semper animo restitit; ea inclaruit abstinentia,
vt

vt corpus assiduis vigilijs, ieiunijs, ac laboribus in seruitutem spiritus redigeret; humilitatis adeò vixit amantissimus, vt deiectiora Conuentus munia à Superioribus iniuncta, prompto, & alacri semper capesseret animo; paupertatis denique tam studiosus cultor extitit, vt eam sibi perpetuò, quasi germanam associarit, solamquè per totum vitæ cursum in delitijs contubernalem habuerit. Verè in se expertus dictum Damiani *Serm. 2.* *Pauper dum terrenis eget impendijs, Angelicis fulcitur obsequijs*; cuius causa, vt magis, magisquè in sua paupertate diues esset, nihil vnquam ab aliquo pro se postulauit, neque à Parentibus diuitijs affluentibus, nisi pro Monasterio, & suis Conuotis.



ALIA

ALIA ETIAM VIRTVTE B. Ioannes eluxit, vt nihil in eo reprehensibile fuerit repertum.

X V.


(viuat,
QVamuis nec Sapiens vllus sine crimine
Inque die Iustus terquè, quaterq; cadat.
Immortalis honos, & diues Fama paratur,
Quod Chisij, crimen nec leue, cādor habet.
Vir simplex verè, ac rectus celebrandus vbiq;
Post Iob viderunt sæcula nulla parem.

HYPOMNEMA.

ALludit ad duo sacræ Scripturæ loca, primo ad illud Prouerb. *cap.*24. vbi dicitur, *Septies in die cadit iustus*: secundo ad illud Iob. *cap.*1. de quo sic habes: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*. A primo isto sacræ Scripturæ loco longè distat BEATVS IOANNES CHISIVS, vitam enim adeò duxit incorruptam, & ab omni vitiorum fuligine puram, & liberam, vt quam-

uis

uis natura ad vetitum prona sit, impellatque, vt septies in die cadat iustus, ipse tamen citrà verissimum Sapientis effatum, firmiùs sempèr, & constans extitit, vt meritò nullum post Iob ei similem fuisse, verear affirmare, sicquè aptè illi conuenit alter scripturæ locus, quo Deus Iob virum simplicem, rectum, timentem Deum, & à malo recedentem celebrauit. Vndè affabrè de B. Ioanne modò quis diceret, sicut & Deus de seruo suo Iob; *Vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens ab omni malo*, cùm vnquam post susceptum Religionis habitum, siue in rebus, siue in verbis in eo minima res visa sit reprehensione digna.



B. IOANNES TOT VIRTVTIBVS insignitus adduci non potuit, vt sacerdotio initiaretur.

X V I.

TAm sancta Chisij torrētur pectora flāma;
Et pia tam Sāctus corda tenebat amor.
Hinc meritò illustres instant suadere Parētes,
Vt velit Ordinibus se decorare sacris.
Respuit ille tamen sacros infractus honores,
Assisij, vt Sanctus fecerat ante Pater.

H Y P O M N E M A.

S*Anctus Franciscus Assis.* sacris initiari Ordinibus, insigni mentis humilitate motus recusauit, quod & quam plures alij illius Eremi Patres conspicui cultores eadem moti virtute apprimè complerunt, quos inter *B. Augustinus*, cognomento *Nouellus*, Manfredo Siciliæ Regi à consilijs, trium Summorum Pontificum Sacellis, ac supremus vniuerso Præfectus Ordini, non nisi ex obedientià Sacerdos initiatus, emicat; nec minus *B. Christophorus Landuccius*, tanto verè *Pij II.* dignus Elogio, quo illum æternitati cōmen-

mendauit. *Putamus huius fratris animam esse sanctam*. Ad quod, & ad tanti B. nomen alludens adiectum carmen me accinuisse memini;

Vix bene Christophorus vitales exit in auras,
Illius, & cunis Christus adesse cupit.
Adfuit, & syluis præsens, quas lætus adiuit,
Vt sic Christophorus nomine, requè foret.
Quid mirum, tanto vitæ fulgore nitentem
Viderit, & Sanctum dixerit esse PIVS?

His non absimilis effulsit B. Io. Chisius, qui à multis rogatus, & à suis præcipuè, vt Sacerdotio initiaretur, assiduas eorum preces summa animi demissione semper refellit, aiens, se, dignum non esse ad tremenda ministeria euchi, & ad diuini numinis consortium traduci.



OB

OB EIVS EXIMIAS VIRTVTES
cura Ecclesiæ vbicumque habitauit,
semper fuit illi demandata.

XVII.

(cura est,
TEmpli quàm meritò Chisi Tibi credita
Si Templum feruens intus amoris eras;
Hanc spartã ornarũt illustres nomine quondã,
Illius curam, cùm tenuere Patres.
Non minùs ornasti, tantùm cũ munus obires,
Vnde Tibi longum Templa dedere decus.

HYPOMNEMA.

PAtres, quibus olim Ecclesiæ cura, & rerum sacrarum custodia fuit demandata, fuere *Cyprianus*, *Abundius*, *Theodorus*, *Acontius*, *Constantius*, *Aegidius*, & passim quamplures alij, quos inter B. IOANNES non secundus emicat, qui sacro huic ministerio; ceù alicui titulari genio à Superioribus addictus, ita munus adimpleuit; vt nehilum in eiusmodi ædilis officij administratione, neque incuriæ, neque negligentiæ, neue alterius reprehensionis dignum, vllo vnquam tempore commiserit.

COE-

COEREMONIARVM in Missæ sacrificio diligens inspector.

XVIII.

(stas,
CVm fuerat Chisio Templi cõmissa pote-
In sacro Templi munere totus erat.
Nec minùs attendit deuota mente; Sacerdos,
Ne quis ab officijs excidat vsque suis.
Dũq; sacris adstat studiosus in Aede Minister,
Angelus ad munus considet Angelicum.

HYPOMNEMA.

TAnta B. IOANNES CHISIVS animi attẽtione, ac deuotione rebus sacris operam nauabat, & Angelico incumbebat ministerio, vt Angelus alter videretur; adstantiumquè in se mirabundos omnium conuerterer oculos, & ad eius exemplum ad firmam pietatis virtutũ, & Dominicæ passionis contemplationem, quam ipse tanta mentis attentione meditabatur, miro, & facili modò excitarentur. Ab eòque inter cætera virtutum semina, tantam in Dominicæ Passionis pietatem, felici, & naturali quodam, vt ita dicam, traduce in D. ANGELAM CHISIAM

D eius

eius Neptem, ac nostri Ordinis Sanctimonialium ornamentum transfusam esse, minimè ausim affirmare, cui tam studiosi fuit animi, vt ad Crucifixi imaginem, nedum assiduas effunderet preces, verùm etiam, & vberrimos lachrymarum riuos, de quo infra à me delineatum habes distichon.

Poplitibus flexis Christum, dum Chisia adorat,
Angelicum dicas, Angela complet opus.

Quam etiam pietatem in cæteras Ordinis nostri sanctimoniales emanasse affirmare, non vereor, quòd si mihi animo insideret lumen, quòd aiunt, ostendere in meridie, proferrem in medium B.Claram de Monte Falchio, adeò Dominicæ deuotam Passionis, vt post felicem obitum eius in corde singula Passionis mysteria impressa visa fuerint, nec minus B.Ritam de Casſia, quæ tanto in Dominicæ Pasſionis ferbuit amore, vt ab eo enixè peteret, vt aliquem sibi ex suis cruciatibus communicaret dolorem, cui ille spinam vnam ex corona detractam in eius frontem immisit; neque hic silentio prætermittẽdum censeo B. Christinam de Vice Comitibus, ex nobilisſimo Mediolanensium Ducum stemmate oriundam, cuius amor tantus fuit in Dominicę Pasſionis cruciatibus, vt in eius memoriam felle amarisſimo, sextis, quibusquè ferijs se cibari voluerit, de quo adiectum carmen à me conscriptum habes.

Dum

Dum Christina Tui meditaris funera Christi,
Vltimaquè innocuæ prælia dira necis.
Bina Tibi in largos soluuntur lumina fletus,
Crudaquè deuoto gutture fella bibis.
Hæc non fella equidem, sed dulcia mella fuere,
Quid mirum? Christi dulcia fecit amor.

Quid vltra verbis opus? Cùm nō minori animi studio in Dominicæ Passionis vulneribus exarsisse relegas S. Theresiam Virginem integerrimam, & Disc. Ord. Carm. Institutricem clarissimam, tamquè feruidum Virginis amorem, non aliundè, nisi ex nostris sanctimonialibus, quibus cum Abulæ in tenella ætate, & rudioribus annis vixerat, & sanctis moribus informata fuerat, traduxisse credendum est; nec mirum postea, si toto vitæ decursu Sanctissimum nostrum Ascetarcham impensè admodum coluerit, opem, precesquè eius assiduè efflagitauerit, ac summo in honore semper habuerit; porrò de tam feruenti Virginis in Christum amore, quem frequentèr alloqui solebat, *Domine, aut pati, aut mori,* adiectum carmen accinui.

Thesbite digna fuit soboles Theresia magnum,
Magnis exemplis pœnè secuta Patrem.
Hunc tulit ignitis Auriga ad sidera bigis
Igneus, & nitida duxit ad astra rota.
Defuit hoc vnum Tibi, sed pro munere tanti
Flammiferi currus munia supplet amor.

SENIS B. IOANNES CHISIVS pié admodum ex hac vita inter amarulentos Christi Domini cruciatus decedit.

XIX.

CAelestis vitæ foribus iam proximus ibat,
Chisius, & certum posteritatis iter.
Aspera, tum Christi patientis symbola poscit,
Quę lachrymās recolit, gestaq; amara necis.
Atque ait; hic meditor moriētis vulnera Vitę
Vlteriùs vitam negligo, disco mori.

HYPOMNEMA.

SEnis B. IOANNES cùm se vltimam vitæ scœnam clausurum sensisset, ex quo fatali morbo æger decumbebat, grabatulo surrexit, indutaquè sacra Ordinis prætexta, flexis confestim genibus, nudum super se proiecit humū, brachijsque feretro, quod ibidem, erat adnixus, profusis vndatim lachrymis, accito Missali, extremos Christi cruciatus secundum Lucam commemoratos, mente recoluit, legitquè, & in illis verbis, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum* vlti-

vltimum, quem trahebat in Christo spiritum, tenero cordis affectu Christo commendatum tradidit; anno Reparatæ salutis 1363. die vero 28. Octobris; quem non immeritò deinceps mortis ob assiduam in vita meditationem, & pio corde recolentem trophæi loco cranium publicis in picturis illustrem expresserunt; de eodem felicissimo B. IOANNIS CHISII transitu vltimos inter Christi Domini cruciatus Patres Conuentus nostri Coloniæ Agrippinæ sequens Elogium in quadam eius imagine ære typis edita scripserunt; vbi sic

Chisius, vt Phœnix, diuino tostus ab igne,
Cinnameas animam reddidit inter opes.
Nam Dei amara legens tormenta, absumitur astris,
Non poterat fato nobiliore mori.


Hoc itidem magnifico adiecto Elogio sub alia eiusdem B. Imagine ære incisa è Belgio ad Vrbem transmissa, & Alexandro VII. fel. record. dicata Fr. Philippus Elich S.T. Profess. expressit,

B. IOANNES CHISIVS à Maciareto Ordinis Eremitarum S. Augustini, vitæ sanctimonia, & generis splendore clarissimus, assidua mortis meditatione, rerum humanarum contemptor, per cilicia, flagella, immanesque alias corporis castigationes patienti Christo confixus Cruci, humilitatis, patientiæ, obedientiæ viuum exemplar. Obijt Senis anno à Christo nato 1363. post sex menses ab obitu integer repertus.

Idquè etiam ad posteros transire voluit S. P. Q .S. quando sub eiusdem B.Io.Icone ad viuum depicta in Palatio Consistorij Senarum elegantissimum hoc adiecit.

ELOGIVM.

B. Ioanni Chisio Ilicetano,
Mirabili quoque morte post vitam,
E grabato ad feretrum
Repente progresso
Abituro, non obituro,
In manus Domini spiritum suum,
Cum Domino magna voce commendatum,
In Dominicæ Passionis mysteria emittenti.
Anno Dom. MCCCLXIII.
Iam Patritio, nunc Patrono
IOANNES CHISIVS Cap. *Pop.*
Et conscripti Domini Nou.& Dec. M.DC.LI.



SEX-

SEXTO AB HVMATIONE mense corpus B. Ioannis integrum, & incorruptum fuit repertum.

XX.

ELapso Chisij visuntur busta semestri
Integra, queis sancto spirat odore cinis.
HincChisiũ inVita Sanctũ,& post fata futurũ,
Et sancta illius ossa, quis esse neget?
Regius id clamat Vates; corruptio nulla
Attinget Sanctum corpora sancta Virùm.

HYPOMNEMA.

ALludit ad illud Dauid *Psal.15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; Sanctus profectò Beatus iste: moribus adeò post inceptam vitam monasticam incorruptus, vt ne dum purus eius ad cęlites spiritus euolarit, sed & relictũ ab eo corpus receptam prius fragrantiam largè, latèque vniuersis explicarit; Phœnici, vt in vita, ita & in morte simillimum; nam sicut ille, teste Claudiano *in Phœnice*:

nec fruge, nec herbis
Sed thuris lacrymis, & succo viuit amomi,

Sic

Sic B. IOANNES propemodum neque pane, neque alio cibi genere, sed lacrymis seuerioribus pœnitentiæ, & diuinæ contemplationis succo vitam suam omnem sustinuit, eamque demum, sicut Phænix inter casias, cinnama, & myrrham, ita inter fragrantissimos Dominicæ Passionis odores feliciter admodum consummauit, quos etiam sexto ab humatione mense, super Indorum, Syrorumquè aromata suauiores copiosè diffudit; ita Confratres, qui familiariùs B. nostrum in vita obseruarant, & coluerant videndi desiderio corpus Beatissimi Confratris sui post sex menses sepulturæ traditum, ex illa eductum vegetũ, & intactum, quàm suauissimos diffundens odores repererunt, quod postquam abundè contemplati sunt, denuò non sine gaudio, & lachrymis tumulo reddiderunt.



BRE-

BREVIARIVM VITÆ nonnullorum Ord. Erem. S. P. Augustini, qui Senis, alijsq; Ilicitanę Congreg. locis sanctitate floruerunt.

XXI.

MIraris tantùm seriem per sæcula Patrũ,
Quos sacræ florẽs Ilicis vmbra dedit.
Nil mirũ, hæc Ilex Cumano fulsit in agro
Aurea, quæ diues aurea mala tulit.
Auulsoquè vno Sanctus non deficit alter
Aureus, id longum sæcula nostra vident.

HYPOMNEMA.

MEminit arboris illius aureæ, Cumano quondam in agro aureos fœtus producentis, de quibus Sibylla apud *Virg.6. Aeneid.*

Vno auulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Cuius

Cuius ad instar Ilex nostra Augustiniana Sanctissimorum Virorum fæcũda semper Parens aureos vndique protulit fœtus, nec à primo pietatis vnquam feruore destitit, à prisca enim illius purioris æui tempestate nunquam Sancto aliquo Dei seruo caruisse creditur, adeò, vt *Vno auulso, non deficit alter*; Quos inter non vltimus emicat B. Nicolaus Senensis ex vetusta, atque nobili Marescottorum familia, miraculorum gloria suo æuo singularis, ob idquè Thaumaturgus nuncupatus. Qui hæc aliaque pluria Elogia de hoc celebri, ac mirabili Thaumaturgo scire auet, adeat, & legat eius Vitã ab Ambrosio Landuccio Episcopo Porphyrien. Sac. Apost. Præfecto Italico Idiomate delineatã, à quo habes etiã nostri B. Ioan. Vitam dignis Elogijs delineatam, quam Serenisss. Cosmo Magno Etruriæ Principi dicatam voluit.Ptætereà, qui tanti Beati Vitam quàm dignissimè scripserunt, fuere B. Philippus Agazzarius, anno post repar. salut. MCCCCXI. quam cùm traderet diuinitùs monitus; *Lege, & Scribe*; Venerab. Bernardus Monaldus ambo Ilicetanæ Syluæ Cultores, primiquè ambo huius B. Vitæ Exceptores; item Marcellinus Alterius Senen. *Elogia M. S.* quæ senis asseruantur in Bibliotheca Martiniana, Gregorius Fulginas tractatu Italicè nuncupato, *Sacri Horrori Leccetani*; Thomas de Herrera Hispanus, *In Alphabeto August. 1. part. pag. 366.* Aloysius Torellus Bononien.

nien. *Cent.3. pag.* 246. qui omnes è familia Augustiniana grauissimi sunt Auctores. Exteri verò Ioannes Baptista Ferrarius Soc. Iesu Senensis, *In suis Elogijs Beatorum Senensium*, Isidorus Vgu gerius Ord. Præd. in libro, cuius titulus est, *Pompe Senesi*, & alij quamplures, quibus denique vltimam imposuit coronidem Reuerendissimus P. Fr. Raimundus Capisuccus Sac. Pal. Apost. Magister, qui accepta eiusdem B. Vita à Patribus Conuentus nostri Coloniæ Agrippinæ scripta, & Typis Plantinianis edita 1641. & Alex. VII. dicata, dum ibi Nuntium Apost. ageret, ipsam denuò Romæ auxit, illustrauit, & accuratiùs prælo expressit, Illustriss. & Excellentiss. D. D. Mario Chisio eiusdem Alex. VII. germano fratri, quàm meritissimè dicatam; iuxta cuius doctissimum oratorium calamum, pauca illa, quæ hucusque adeò de B. Ioanne Chisio, adiectis Hypomnematibus, me accuratè delineasse, nihilquè ferè, quod eam ad rem pertinere visum est, omisisse, fateor; Quòd si fortasè iucunda minus, quàm par erat, quis opinetur, prodromum hoc opus esse sciat, quo plura, potioraque à politioribus calamis, & à præstantioribus Apollineæ Artis cultoribus, tamquam ex vberiori Amaltheæ cornu effundi non leue erit incitamentum. Faxint superi, vt eximia tantorum Patrum in Beatum Ioannem Chisium præconia illum aliquando Sanctæ Sedis Apostolicæ decreto,

creto, *Beati* titulò, quo à trecentis pænè annis doctis illorum calamis, Populorum veneratione, ac publicis picturis indigitatur, ac præcipuè in peristilio Ecclesiæ Ilicitanæ, meritò decorent, & illustrent. Cæterùm quidquid in hac B. Ioannis Chisij Vita, refero & in omnibus alijs Beati titulo indigitatis me subijcio, vt in Protestatione sequenti, quam Lectori beneuolo exhibeo.



PRO-

Protestatio Auctoris.

CVm Sanctissimus D. N. VRBANVS Papa VIII. die 13, Martij anno 1625. in Sac. Congregatione S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitate, seù Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelatione, seù quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus 5. die Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penès Auctorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi, obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensù quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

D. ANGELAE CHISIAE SENENSIS

SANCTIMONIALIS ORD. EREM.

S. P. AVGVSTINI,


ET

ALEXANDRI VII.

PONTIFICIS MAXIMI

GENTILIS VITAE


SYNOPSIS.



D. ANGELÆ CHISIÆ SENENSIS

VITAE SYNOPSIS.





NGELAM illuſtre Sanctimonialium Ord. noſtri decus, & ornamentum Senæ extulerunt, Tuſciæ Vrbs ingenijs, ſtudijs, & ſanctitatis fama toto Orbe celeberrima. Nata eſt ex nobili, ac veteri Chiſiorum genere; quod ſingulari deinde virtutum omnium ſplendore illuſtrauit. Parentem habuit Auguſtinum Chiſium à quo Puerula ſanctis moribus confirmata, & adulta poſtmodum quadruplici connubio tradita eſt, quo excuſſa onere, tota in cæleſtibus mentem aduertit, noſtriquè ſacri Ord. Inſtitutis initiari voluit, exemplo, & pijs B. IOANNIS CHISII Patrui monitis permota, cuius Vitam ad miraculum vſque imitari ſtatuerat, ſacrumquè Tertiarij ſagum, quod noſtri Sorores

Ordinis in pœnitentiæ signum gestare solent, Senis in Conuentu S.August.à Fratre Hieronymo de Francisco summo Prouinciæ Præfecto piè admodum accepit. Conuentum S.Antonij de Ardinghesca amplissimis sui patrimonij possessionibus, ac prædijs auxit, cumulauitquè; cuius adhuc testantia munificentiam Casali, Castrum, Chisij quondam subiectum, extant monumenta, conspicienda, ac inter cœtera Palatium fulminis impetu percussum, & euersum, hodie sola Turre superstite. Quibus, & rerum omnium terrenarum curis procul in mare vltimum abire iussis, nihil studiosiùs, præter animæ salutem, & Dei gloriam aucupata vnicũ sibi scopum Cœlum obijciens, & in quem intentis semper deuoti spiritus oculis collimaret; cuius abundè ad Crucifixi imaginem lachrymæ, precesquè effusæ, posteris amplum testimonium perhibere; quibus iugiter addicta, gloriosa exodo decessit; circa annũ 1400. de qua itidẽ adiecta carmina me scripsisse memini.

Angela, dum fuerat claris orbata Maritis,
Amplas, quas habuit nuda reliquit opes.

Sic-

Sicquè secuta sui præclari exempla Ioannis,
Pullo Augustini tegmine membra tegit.
Hinc sponsata Deo meritò bis digna vocari
Angela, tunc poterat nomine, & obsequio.

De eadem in ænea lamina incisa ante Crucifixi imaginem prostrata, orante.

Poplitibus flexis Christum, dùm Chisia adorat,
Angelicum dicas; Angela complet opus.

Hic Lectorem monitum esse duxi, me respexisse ad locum D. Pauli *Epistola* 1. *ad Hebræos*, vbi sic, *Et adorent eum omnes Angeli eius*; cumquè Angela ad Christi pedes prostrata ipsum adorat Angelorum munus compleuit, nec minus Dei amore sauciam se demonstrauit, iuxta dilectissimi Patris sui effatum *In Soliloquijs suis; Qui verè Deum diligit, Christum adorat.*

Neque hic silendum par erat, carmen infra adnotatum, quod de senis eiusdem B. Ioannis Chisij, ac totidem D. Angelæ Chisiæ eius Neptis imaginibus è Belgio transmissis, & à me Alex. VII. Pont. Max. in donum oblatis, & ab eodem benignè admodùm acceptatis.

En Tibi dilecti profertur imago Ioannis,
Angela, cui Neptis stat veneranda comes.
Amborum tellus expressit Belgica vultus,
Non tamen hæc mores attigit arte pios.
Ars, vtinam mentes vtriusque effingere posset,
Dignior in terris nulla tabella foret.

EPINICIA
AD ALEXANDRVM
SEPTIMVM
P. O. M.

In Epidemiam ab Vrbe nouissimè profligatam poetico calamo, adiectis Hypomnematibus, declamata.

A R. P. Fr. NICEPHORO SEBASTO

Eiusdem Ord. ac Neap. Coll. S.T.M. Archiepiscopalis ibidem Curiæ pro Em. Card. Caracciolo Archiep. Exam. Synod. S. Officij Regni, ac Indicis de Vrbe Consultore.



R O M AE,
Typis Michaelis Herculis Anno Iubilei 1675.

Superiorum permissu.



S. D. N. ALEXANDRO SEPTIMO P. O. M.



VGVSTIS olìm, Epinicia B. P. poſt partam ab hoſte victoriam, venerabunda accinebat antiquitas; hæc Tibi, Epidemia nuper, hoſte quouis ſæuiori, proculcata, & ab Vrbe Orbis Domina prorſum eliminata; iure ſed meliori accinenda; duxi. Arma, nùm clauus, quo Romani veteres in Iouis Æde fixo, debacchantem ſiſti cenſebant Epidemiam? Nùm Palamedis victimæ, queis ille auertendæ à gregibus peſtilētiæ Apollini, Idæis litare populis ſuadebat? Nùm

denique anguis ille ab Epidaurensibus Æsculapio, vt dæseuienti veneno, alio veneno consulerunt, oblatus? Haud sanè; sed tuæ fuere preces, quas assiduè domi, forisquè Vrbis Ecclesias lustrando in Deum, Diuosquè piè admodum effudisti. Precibus, summam in egenos, & derelictos munificentiam, vt verè cum Laurentio posses Ecclesiæ thesauros, non in scrinijs, sed in pauperibus indigitare, liberalitèr addidisti. Ciuibus tuo exemplo Dux ad virtutis semitam fuisti, vt per morum improborum mutationem, in quos lues inuehitur, ad diuinam sollicitandam opem, sacra non tantùm exhomologesi, quam diuina synaxi, expiandis, quibus, & mysticum illud Palladium, ac liberale Iubileum largitèr indulsisti, pestiferam luem profligandam asseuerasti, ijsque non minùs, quod pridem Vates Christianorum dignissimus, Ferrariæ post fluminum irruptiones, an-

nonæ

nonæ caritatem, ac bella, peste grassante per vniuersam Cisalpinam Galliam; diuino plenus enthusiasmo, denuò repetere visus es.

Funde preces ergo Diuis mala crimina pelle
Cum gemitu, meliorq; redi, sanctumq; piamen
Perficiens; sacræ Cereris conuiua recumbe
Forsan, & hæc superas flectent moderamina mentes.

Reuiùixisse in Te sanè Gregorium illum nomine, requè Magnum ausim dicere, qui suo æuo hac in Vrbe, peste grassante, Tyberiquè non aquarum cataclysmum, sed sanguinis eluuiem exundante, & plusquam olim insana credidit Gentilitas, cùm deuectus Epidauro, & demersus in amnem trabalis ille, magnitudinis Draco, qui nedum Vrbem, sed & totum pænè Latium, pestifero halitu, infecit, nec maiora præstitit, nec salubriora sanciuit. Tibi non minus ALEXANDER, quàm illi olim, debet suam Roma incolumitatem;

Te ſuum meliùs appellat Iouem ſoſpitorem; Te ſuum veriùs proclamat delapſum è Cœlo Palladium; Te ſuum denique auſpicaciùs indigitat priſtinæ ſalutis Apollinem, non nouennarium ſupra Muſarum chorum, ſed Orbis ſupra nouem, & Vrbis Cardines præſidem, ad publicam Ciuium ſanitatem, quos feliciter admodum præeſſe voluiſti. Ciuicam, en præfers Coronam, ex aurea illa Quercu detextam, quam pridem CHISIIS tuis, de ſuo detulit ſtemmate Iulius II. Pont. Max. & ad huius Tibi præcipuè ſingularis victoriæ trophæum; At

Non Quercus Te ſola decet, ſed laurea Phœbi.

Idquè de Te veriùs, quàm pridem de illo Romanæ Vrbis Dynaſta mentitus, accinuiſſet Poeta, quam immortalitatis lauream Ciuico ſerto decoratam, ad non perituram Famam, & in Fama perenne beneficium Ciues, poſteriquè omnes recitabunt,

bunt, at ſi eorum Gentiles olìm Iunoni ſopitæ delubrum religioſo nimis impulſu extruxere, quod in graui peſtilentiæ tempore morti addictos exemiſſet, Tibi iurè potiori hoc perennis gloriæ monumentum ſeruati Ciues excitare, non erubeſcent. Cœterùm B. P. quæ Tibi offero Epinicia, non minori animi beneuolentia, quàm Vitam B. IOANNIS CHISII Gentilis Tui à me Tibi nuper oblatam, excipias enixè rogo, precorquè, quod ſi rudiori, quam par erat plectro, & iucunda minus accinui lyra, opus prodromum eſſe cenſeas, quo plura, potioraquè à politioribus calamis, & à præſtantioribus Apollineæ artis cultoribus, tamquam ex vberiori Amaltheæ cornu effundi, non leue erit incitamentum. Tibi non deſunt Homeri, vt Magno olim Alexandro, ex quibus vnum dumtaxat ſuis euulgandis Orbi victorijs in votis habuit, & Achillis inui-

dis

dit felicitati, quod tantum habuiſſet Martiæ ſuæ gloriæ præconem. Vale B.P. Orbi, Vrbi, Tibique. Romæ ex Auguſt. Aſceterio. Kalen. Aprilis, anno ſalutis reparatæ 1657.

Sanctitatis Tuæ,

Humillimus ſeruus

M. Fr. Nicephorus Sebaſtus, Meliſſenus, Ord. Erem. S. P. Auguſtini.

EPI-

EPINICIA
AD ALEXANDRVM VII. P. O. M.
In Epidemiam ab Vrbe nouissimè profligatam.

Roma sub gentilitio Alexandri VII. P.M. stemmate ab Epidemico morbo seruata, reuiuiscit.

EPIGRAMMA I.

ROma lues, dum Te vexat, damnosaq; Pestis,
Stēmate Alexandri tecta, pericla times?
Quercus adest dilecta Ioui, quæ missa retorquet
Fulmina, & horrentes non finit esse neces.
Bissenoquè iugo tua, sed cùm mœnia cingit,
Firmior Vrbanis vita, salusquè manent.
Fulgida, quę splēdet sublimi in vertice Stella
Non lethum populis sanguine tincta notat.
Delirant Vates, terris cùm funera dicunt,
Aethereo, vt cernunt sidus in axe nouum.
Innocua', haud signāt morituros sidera Ciues.
Sidus Alexandri signa salutis habet.

HY-

HYPOMNEMA.

ROmano Cœlo felix, faustumquè semper erit Alexandri VII. Pont.Max.gentilitium stemma, ac sidus in eo præcipuè affixum; de quo vide Guilelmum Dondinum, Hieronymum Petruccium, Iacobum Masenium, Ignatium Bonplanum, Ioannem Lucarum, Franciscum Briuium, in Libro, cui titulus est, *Musarum plausus*, Alexandro VII. P. M. renuntiato, qui omnes è Societate Iesu, grauissimi sunt Auctores, ibidemquè consule Illustrissimos viros, Iulium Rospigliosium, Tarsen. Archiepisc. & Sanctissimi Domini Nostri Status à Secretis, Ferdinandum Furstembergium, intimum eiusdem Domini Nostri Pontificis à cubiculis, Franciscum Lucidum, Io.Baptistam Nigronium, Ioannem Creueum Hybernum, intimum eiusdem Pontificis Sacellanum, Iosephum Mariam Suaresium Episcopum Vasionensem Virum summa eruditione præclarum, fidei locupletes testes sunt, codices ab eo scripti, præloq; expressi, Io.Baptistam Rufum Firmanum, Maximilianũ Episc. Litomericensem, & ibi quamplures, ac non minus Ignatium nostrum Dyckerium Belgam in Lyricis suis, *Ode prima, lib.2.* qui à Chisiaco sidere, nedum Vrbi, sed & Orbi prospera, & felicia inaugurantur fata. Quod de Stellis, vt aiunt, crinitis asserunt vates, eas nimirum, vel Principum salu-

ſaluti ſiniſtra, vel Regnis euerſiones, vel imminentem aliquam populis cladem portendere, vt ex Suetonion *de Vita Cæſaris*, quo mortuo per ſeptiduum Stellam crinitam Vrbi affulſiſſe, notant; vanum profectò delirium, & inane cum ſanioribus rectè cenſeas, quos inter Anteſignanus eſt Auguſtinus 2. *ſup.Gen.* ad litteram, citatus à D.Thoma *p.2. q.9. art.5.* vbi ita; *Fatendum eſt, quando ab Aſtrologis, vera dicuntur inſtinctu quodam occultiſſimo dici, quod neſcientes humanæ mentis patiuntur, quod cum ad decipiendum homines ſit, ſpirituum ſeductorum operatio eſt.*



ALEXANDER VII. PONT. MAX. cum Gentilibus ſuis, à B. Ioannis Chiſij æuo, immunes ab Epidemiæ labe viſuntur.

EPIGRAMMA II.

SEnenſi damnoſa lues flagrabat in Vrbe,
Sanguinea miſerũ corpora falce metens.
Feruida non tantis cumulatur frugibus æſtas,
Nec tantis redolet trynacris Hybla thymis.
Horrida, nec tantos producit bruma rigores,
Quot letho peſtis corpora ſæua dabat.
Immunis Chiſio ſua terſit ſpicula peſtis,
An mirum? In Chiſios non valet vlla lues.
Immortalis erit Cœlis pia Fama Ioanni,
In terris Chiſijs cœlitùs aucta viget.

HYPOMNEMA.

ALludit hic ad illud Euripidis in ſuis Tragedijs dicentis; *quod ſi quos Athenis peſtilentia non ſuſtulit, Deorum beneficio immortales habendi ſunt,* quos inter non immeritò recenſendus B. Ioannes

nes Chiſius, qui tribus ab hinc ſæculis, Senis Epidemia graſſante immunis prorsùs euaſit, vt apud Reuerendiſs. P. Fr. Raimundum Capiſuccum S. P. Apoſt. Mag. in eius Vita nuper Romæ typis edita, ac Excell. D. D. Mario Chiſio, Alex. VII. ger. fratri, dicata pag. 108. videre eſt; à quo iure optimo ſecundus eſt B. Aloyſius Gonzaga, eximium S. I. decus, & ornamentum, qui nouiſſimo ſœculo, hac in Vrbe, debacchante peſte, in Noſocomijs à Claudio Aquauiua, ſummo eiuſdem S. I. Præfecto, inſtitutis, miro, ac ſingulari pietatis exemplo deſeruiens, in media peſtilentia, & inter fœdiſſima quæque deſperatæ valetudinis ſemicadauera, & illorũ vlcera ſanie diffluentia, non tabifica lue, ſed longa febrium diuexatione, plenus gloria deceſſit; porrò de eius nocturnis flagellationibus, & calcarijs acuminibus, quæ frequentèr nudo corpori adhibebat, adiectum carmen addere par erat.

Dum nox alta ſilet molles ſibi verberat artus
Gonzaga, & ſacco mitia membra domat.
His addit tenerum dumeta intrantia corpus,
Otia, ſic patiens exitioſa fugat.
Hinc Paphiam riſit, turpeſque Cupidinis ignes,
Hæc cauſa eſt; numquam deſidioſus erat.

In Festo Conceptionis Deiparæ Virginis, ad eius de Populo Aedem accurrit, quo die Romæ Epidemia mitescere visa est.

EPIGRAMMA III.


(cellas?
LEthales metuēda times quid Roma pro-
Non rectè Augustis conuenit iste timor.
Adstat Alexander, qui Custos Vrbis, & Orbis,
In tua non patitur damna valere luem.
Si pia Te quondam seruarunt vota Gregori,
Te modo Alexandri cura, precesq; leuant.
Virginis auxilio Pestem Tibi dispulit ille,
Angelus est index Aelia castra tenens.
Alter Alexander votis ad Virginis Aedem
De Populo; populo missa venena fugat.

HYPOMNEMA.

SAnctum Gregorium Romanum, sanctitate cōspicuum, eruditione diuinum, ac celebri agnomine Magnum, Vrbem quarto post reparatam salutem seculo, à pestifera vexatam lue prece ad Deiparam Virginem fusa, liberasse, & Angelū, quem

quem Deus ad eiusdem excidium in Ælia mole constituerat, restitisse, nudatumque in vaginam gladium reducendum, coegisse, liquidò constat apud Bellarminium, & Baronium *In suis Annalibus*; cui & Alexander hic noster VII. magnus itidem cognomine post longam temporis intercapedinem ad Vrbis salutem successit, qui effusis pariter ad Deiparam Virginem de Populo votis, & precibus, Vrbem pereuntem, ac pænè excisam, incolumem, Deumquè ad veniam procliuem factum, Populo sibi commisso reddidit; sicquè verè *Magnus iste Sacerdos, in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*. Cœteras verò Pontificis huius heroicas animi dotes, Maiorum imagines, qua bello, qua pace celebrium, ditiones, & ampla dominia, præcipuè Maciareti, & Fani Herculei in Tyrrhenis, vbi illustres Chisij Toparchas egerunt, nobiles, ac conspicuas eorumdem, nedum in Thuscia, sed in Regno Neapolitano, immò, & in tota Italia affinitates, ne vetera, & longa repetamus elogia, latiùs vide *In Vita B. Ioannis Chisij*, nuper à nobis poetico calamo Romæ typis edita, cui & synopsis Vitæ D. Angelæ Chisiæ eius neptis, nostri itidem Ordinis Sanctimonialis, addita est, & eidem Alexandro VII. P.M. dicata. De tanti etiam Pontificis titulis, neotericos inter consule, Patres Conuentus nostri Coloniæ Agrippinę, in eadem B. Vita, & eidem Pontifici dicata, dum ibidem Nuntiũ Apostolicuũ ageret, Capisuccum *In Epi-*

ſtola dedicatoria eiuſdem B. Vita, ad Excell. Marium Chiſium, Brulium noſtrum *In epiſt. item dedicatoria Hiſtoriæ Peruanæ, Ord. Erem. S. P. Auguſtini*, ab eo, ad eundem Pontificem ſcripta, dum Coloniæ Agrippinæ, Nuntiū itidem Apoſtolicum ageret, Ferdinandum Furſtenbergium *In Elegia ſua, & in Hendecaſyllabo*, ad eundem Pontificem, quæ extant in Libello, *Muſarum plauſus*, indigitato à pag. 29. vſque ad 50. Natalem Rondininum S.D.N. ab epiſtolis ad Principes, ibidem *in Reſponſo ſuo*, verè ex tripode hauſto, ad Stephanum Abbatem Gradium, iuxta Catulli ſtylum, exarato pag. 143. & paſſim pleroſquè alios eruditiſſimos, & vetuſtiores inter, vide Paulum Iouium, Petrum Bembum, Iulium Cæſarem Scaligerum, Petrum Aretinum, Hieronymum Borgiam, Maſſæ Lubren. Epiſcopum, qui omnes magni nominis ſunt Auctores, & de Chiſiorum Heroibus multa poſteris reliquerunt elogia.



Sua

Sua prece ad eandem Virginem oblata Vrbem reddit incolumem.

EPIGRAMMA IV.

VIsit Alexander ſacrati limina Templi,
Virginis è Populo fundat, vt ore preces.
Pronus in excelſa veneratur imagine Diuam,
Diuaquè ſe votis ſiſtit imago ſuis.
Extemplo Auſoniæ viſa eſt miteſcere peſtis,
Et dare placata damna minora nece.
Priſca modò ſileat Paſchalis Fama per Vrbē,
Hic Stygia exploſit monſtra, ſed iſte necat.

HYPOMNEMA.

HAnc hiſtoriam de Paſchali II. Pontifice Maximo cacodæmones iſthic profligante, vbi ſedem ſibi ad Neronis tuendas exuuias, immanitèr Populos vexaturi, defixerant, quo poſtea in loco ſacra hæc Aedes de Populo erecta eſt, refert Ciacconius in huius Pontificis Vita, & cū eo Ioſephus Matrania, *In Hiſtoria S. Mariæ de Porticu*, Iacobus noſter de Albericis *In ſuo Compendio.* item Ambroſius Landuccius S. A Præfectus, & Epiſcopus Porphyrien. *In Origine Tem-*

 pli

pli S. Mariæ de Populo, & Benedictus Millinus, *in libro suo de hoc Templo*, mox edendo, quam pijssimam Aedem ab eo postea acceptam Xystus IV. Pont.Max.reparatæ salutis anno 1480.Deiparæ Virgini sine labe Conceptæ apprimè, deuotus,vt videre est apud Aegidium nostrum Lusitanum,de Præsentatione nuncupatum *In tract. de Conceptione Virginis, lib.3. q.6.* à fundamentis euertit, & in nobiliorem formam reduxit,vt clarè patet in Vitis Pontificum Romæ, excussis anno 1630. idquè etiam liquidò constat, ex eiusdēmet Pontificis insignibus in eadem Aede appictis; quam demum Alexander VII. P.M. pontificia munificentia, accersitis vtique Bernino, & Vannio, nostri æui Lysippo illo, Apelle isto,vbi & Gentilium suorum busta,dignis Elogijs, præcipuè ad Augustinum Sacelli fundatorem, & ad Sigismundum Iulio II. P. M. inter paucos carū seruantur, restaurauit, exornauitquè, ac perenni Elogio in Deiparam Virginem antiquæ pietatis ad ostium templi, posteris commendauit, quod sic sonat.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
FABII CHISII OLIM CARD.
TITVLARI AEDE ORNATA
SVI PONTIF. PRIMORDIA
ANTIQVAE PIETATI
IN BEATAM VIRGINEM
CONSECR. A. D. M DC. LV.

Porrò

Porrò tam pium, & munificum in nostrum Ordinem Pontificem superi diutissimè seruent incolumem, atque ad extremum cùm lethalis superuenerit hora, Mariano exornato Templo, velut Propugnaculo contra hostium insultus defensus, hinc DEIPARA VIRGO, inde AVGVSTINVS, suis vterquè stipatus legionibus, gloriosè ad Beatorum sedes collocent, & inter cætera meritorum suorum præconia, idipsum coram diuinæ Maiestatis throno ingeminantes; *Dignus es Domine*, vt Te ipsum mercedem ei, *præstes*; *diligit enim gentem nostram*, & Templum ipse ornauit nobis; ita Augustiniani omnes ex animo vouent; & apprecantur.



D. Petri Aedes inuisit, die 13. Decembris, Anno 1657.

EPIGRAMMA V.

AEstuet impatiēs morbis lethalibus æger,
Extremumq; trahat peste furente diem.
Oret Alexander Vaticani ad limina Templi,
Integer exilijt, qui priùs æger erat.
Aegrotis, quid ni valeat conferre salutem?
Solus Alexander nomen, & omen habet.

HYPOMNEMA.

ALexander ex Græco vocabulo, idem est, ac Latinis Auxiliator; vnde nil mirum, si in Vaticanā Sede locatus, fulgentissimo suæ lucis radio, miseris ægris auxilium laturus, lethales eis tenebràs auerterit, Quid Alexander VII. nisi Lux; Idquè Iulius Rospigliosius, Tarsen. Archiep. & intimi eiusdem Pontificis status à secretis, ingenio, pietate, ac eruditione in paucis clarus, adiecto expressit Anagrammate; ALEXANDER SEPTIMVS PETRI SEDE LVX MANAS; cui etiam sequens, & cultum adiecit Epigramma, quod & notatum habes, in Libello, *Musarum plausus*, indigitato, & Alex. VII. Pont. Max. renunciato *pag.* 135.

Lux

Lux Mundi Deus est; Mundi lux Petrus; vterq;
Vaticanæ Orbem Sedis ab axe beat.
Regnat Alexander, Petriquè è Sede, Deiquè
Sede Petri manans lux noua in Orbē micat.
Quale iubar recti? Quæ lux pietatis? Honesti
Quale decus? Quantus Religionis amor?
Omnis Alexandri lucem plaga sensit, & arsit
Illo omnis, Soli deuia, terra calet.
Lux non vna micat, lucis fons vnus, ab vno
Manat Alexandro, quæ micat Orbe dies.
Ergo Petri è Solio, quæ lux, terrisquè; Poloquè
Manat Alexander, aut Petrus, aut Deus est.

Par erat ad huius Anagrammatis cum recensito Epigrammate Auctorem, aliquid ex nostro Helicone, vt & meritissimum Vatem intexere; Quem, & *Sidus Olorum* exortum, extincta Alexandri luce, nouum Vaticano Cœlo, splendorem conciliasse Christianus Orbis expertus est.

Dum noua Alexandri prodis natalia Mundo,
Exortam lucem prodis, & esse nouam.
An & Chisiaco de sidere talia pangis,
Quod binum, aurato stemma sub axe notat?
Nascitur an nouus in terris nunc alter Iulus,
Dum natum æthereo dicis in Orbe iubar?
Sic equidem; sed non demissum ex æthere fulsit;
In terris Solem nuntiat esse nouum.

Se-

Septem Vrbis Ecclesias piè admodum perlustrat, die 22. Decembris anno 1656.

EPIGRAMMA VI.

EFfera placatis mitescũt tempora morbis,
Et pereunt terso sanguine tela Iouis.
Parcarum cessat rabies, vita obtinet Vrbem,
Lethifer ægrotis pallor ab ore fugit.
Euentus, quæ causa noui? Cũ Templa reuisit
Vrbis Alexander, stat rediuiua salus.
Quem morbũ, nullæ potuere Machaonis artes
Pellere; Alexander pellit, vt astra rogat.

HYPOMNEMA.

INnuit hic Auctor, idem quod Vates Christianorum clarissimus, in Cisalpinis, peste debaccante, anno M. DC. XXX. VRBANO Octauo Pont. Max. in Vaticano solio; ad summam totius Ecclesiæ felicitatem, euecto, accinuit; idque in eius Pontificatus primordijs, & meritis Vrbs experta est; vnde sic ille,

Et

Et meritis, Vrbane, tuis gratissimè Cœlo,
Pacatum terris numen, Te præside, parcet.

Quod tantillum primo carmine immutato, mihi ad Alexandrum hodie Pont. Max. inflectere libuit.

Annue, Alexander, meritis gratissime Cœlo,
Pacatum terris numen, Te præside, parcet.

Porrò cum de tanto Vate digna mentio acciderit, in eiusdem cultissimas lucubrationes, & Parnassiacos flores ex bifido illo, & amæno iugo collectos, hoc à me delineatum Hexastichon subijcere visum est.

Facundas solus fingens sine nomine Musas,
Musarum linguæ munera solus habes.
Cur matura vocas Iuueniles scripta Camenas?
Nomine, cur humili grande notatur opus?
Antiphrasis certa est, Musę sunt illa Seniles,
Et Vates senior Nestore, Nestor erit.

Elogium illud *Seniles*, à Patre Ioanne Baptista Masculo S. I., æui nostri Horatio, inter mutua Neapoli colloquia, acceptum refero, quem nuper pestilentia correptum, quam vnicè fleui, defleui; fletquè indeficienter Musarum chorus, cum Apolline suo, de cuius morte, & Lyricis prælo emissis, & Fabio Chisio, Neritonensi tunc Episcopo, nunc Alexandro Septimo Pont. Max. dicatis, per quem Coloniæ Agrippinæ, dum Nuntium Apostolicum ageret, nouam lucem videre, se-

ſequens epicedium, querula veluti præfica, accinui.

Maſcula ſunt verè, quot Maſcule carmina pãgis:
Fœmineam reſonant, nec tua plectra Lyram.
Vnus Alexandrum meritò, ſi pinxit Apelles;
Vnus Alexandro ſcribere dignus eras.
Quod dedit æternum per ſæcula nomen Apelli,
Hoc Tibi longæuum nomen in Orbe dabit.
Inuida, cùm nuper tua læſit corpora Peſtis,
Anne tuum grandi lædet in Orbe decus?



In-

Inter tot ALEXANDRI curas, precesuè SANCTI NICOLAI sanguis, qui Tolentini concretus asseruatur, mirum in modum colliquefieri, visus est.

EPIGRAMMA VII.

DVm Tollentini sacrum feruere cruorem
Cernis,& emisso lacte fluenta dare.
Inclyta Alexandro præbent Epinicia palmas,
Quas modo pestifero victor ab hoste tulit.
Quid profers? Sãguis vindictã clamat Abelis,
Hic pacem æthereo sanguis ab axe petit.
Nouerat hanc olim præstare Eugenius Vrbi,
Tu modo Alexander ferre salutis opem.

HYPOMNEMA.

ALludit hic ad illud sacræ Scripturæ locum Genes. *cap.* 4. vbi ad Cain Dominus. *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra*; nec minus, ad illud Eugenij Quarti Pont. Max. quo

quo tempore SANCTVM NICOLAVM in Diuorum Apotheosi relatum, Ecclesiam schismate diuisam, Thaumaturgi meritis huius Piceni, & intercessione, tranquilla frui pace, expertus est, vt latiùs in eiusdem Vita videre est, quam modò sub Alexandro Septimo longo firmatam robore, cum Ciuium salute miramur. Porrò tam singulare portentum emissis ab Episcopo Maceraten. in Vrbem litteris, nec minùs publicis illius Vrbis documentis latè, dilucidèque constat.



Ad

Ad Excell. D. D. Marium Chiſium, Alexandri VII. P. M. germanum fratrem.

De eius ingenti ſtudio, quo Vrbem ab imminenti clade ſeruauit.

EPIGRAMMA VIII.

HOſtis, vt Auſonius armato milite muros,
Cingere, & exorta ſternere luce putat.
Tutula ſublato Romanos euocat igne,
Et libertatem ſeruat, & Vrbis opes.
Romanos infeſta volant, ſic fata per agros,
Vrbanos morbis aſtra inimica premunt.
Maius ſub Mario ſpectauit Roma trophæum,
A morbo, cùm ſe libera Roma videt,
Romanos quid opes cum libertate iuuarent,
Si totidem morbis vita perempta foret.
Vt fieret longo memorandus nomine, peſtem
Optauit Caius ſerpere in Vrbe ferox.
At ſtultus; verùm Marius diſcrimine longo,
Hanc videt, & ſæuam pellit ab Vrbe luem.
Quam priſco Mario; huic Romanæ plaudite gentes,
Compulit ille hoſtes, diſpulit iſte neces,

HY-

HYPOMNEMA.

TVtulam ingenioso stratagemmate Romam à Sabinis obsessam, liberasse, refert Plut. *In Camillo*. Caium Caligulam pestem in Vrbe, aliasquè calamitates, vt sibi nomen inde perennè compararet, optasse, memorat Suetonius, & alij passim Historici Romani. Marium inclytũ Romanorum Consulem Cimbros, & Theutonos ad aquas Sextias ab Italis, nè dum ab Vrbe eliminasse, memorat idem; quam Marius noster inclytus, nuper feliciori tutam reddidit omine, & ad sedandam huius Cymbę tempestatẽ, (quod dici solet) Prora, & Puppis verè extitit; quod me pridem de ipso Romam Senis aduenient e adiecto carmines vaticinatum, memini.

Innumeros pelagi fluctus, terræquè procellas,
Despice ter felix Cymba sacrata Petri.
Venit Alexander, qui Te cum Robore firmat,
Bissenoquè micans vertice stella regit.
Siue Maris montes lædunt, en Marius adstat,
Qui maris vndosas sistere nouit aquas.
Si Tibi ventosas efflauerit Aeolus auras
Flauius has vno comprimet ore minas.
Surgant Hæretici cum tempestate feroces,
Qui fuget, hinc Heros inclytus alter adest.
Auspicijs tantis, & tanto numine tuta,
Nunquam fluctiuora præda Charybdis eris.

Ad

Ad Flauium Chisium Alexandri VII. P. M. Nepotem.

De eius felici nomine, & omine, quo Vrbem à pestifera lue sospitem præstitit.

EPIGRAMMA IX.

FLauius Ausonijs Lenæum Cœsar in agris,
Dissipat, & vites luxuriare vetat.
Dũ neglecta Ceres tenues numerabat aristas.
Consita, vt ingenti palmite terra foret.
Sternitur irato Nysæus Cæsare truncus,
Cogitur, & Latijs Baccus abire plagis.
Nõne dedit maius portentũ hic Flauius Vrbi,
Omine quo, tantam Roma recepit opem.
Vter erit maior Cæsar ne, an Fluuius iste
Inclytus? Id fatis postera sæcla notent:

HYPOMNEMA.

DE Flauio Domitiano Cæsare, vites ab Vrbe excidente; vide Tranquillum Suetonium *In Vitis*, Ammianum Marcellinum, Velleium, & & passim alios idem affirmantes.

Ad eundem de eodem.

EPIGRAMMA X.

MVlta palatinis volitabat Muſca theatris,
Bella ciens auido ſæpe moleſta pede.
Inſidias timuit, teloquè armatus acuto
Flauius, infeſtas cuſpide figit aues.
Extimuere feræ, regnantis vulnera dextræ,
Perdidit, & totũ Muſca perempta genus.
Flauius haud muſcas dextra profligat inanes,
Sed turpes Hydras, Gorgoneaſquè lues.
Reddita Roma ſibi eſt, certiſq; erepta periclis,
Hercule ſub tanto viuere, quiſquis ouat.

HYPOMNEMA.

FLauius, item Cæſar, quod Muſcas ei apprimè moleſtas ab Vrbe expulerit, recenſiti Auctores memorant, ac Flauius hic noſter inclytus, nedum Herculeo accinctus robore, ſed etiam Palladio, quod Senis in natali ſolo, ab vberibus hauſit, ad legalia ſtudia capeſſenda, quibus hodie Romæ ad miraculum vſque præfulget, & peſtiferas has Hydras nomine, & omine ſuo radicitùs auulſit. Porrò cùm de eius Pallade inciderit mentio, ſequens Epigramma, de eius theſibus,

Senis

Senis celeberrimo in illo Athenœo, mirantibus, gaudentibusquè eruditis omnibus ab eo defensis, & Alexandro VII. dicatis, pro vtriusq; Iuris laurea consequenda, scribere libuit.

Si fugiens exul terras Astræa reliquit,
E superis iterum iam rediuiua venit.
Quis valuit victam desertum cogere ad Orbem,
Quam (Flaui) poterat cogere nemo, vales?
Symbola Laurus erit, quam Senis inclyta virtus,
Et Patriæ nuper Pallas amica dedit.
Quam sub Alexandri sacrasti nomine laurus,
In docta æternus fronte virescet apex.

Cùm autem nuperrimè Flauius idem noster inclytus, ab Alexandro VII. P.M. dignissimo Patruo in Prælatorum album meritò sit relatus, per quod, & in Vrbe causas patrocinari visus est, sequens carmen in eiusdem præconium accinere æquum est.

Ad Patrios per Te felix Astræa penates
Prodijt, æetherea nuper ab arce redux.
Hæc eadem per Te Latiumquè, Vrbemq; petiuit,
Romuleo præstas dum tua iura foro,
Nemo sacrum merita linquit sine laude tribunal,
Dum iusta rerum pondera lance tenes.
Institiam commendat inops, commendat & auro
Diues, & occultos spernit vterque dolos,
Reddita Roma sibi est, fraudum compage soluta,
Et scopus effecta est Legibus vna tuis.

Ad Auguſtinum Chiſium, Alexan. VII. P. M. Nepotem, & Caſtri S. Angeli Præfectum.

EPIGRAMMA XI.

ASpera dũ feruent cõceptis tela venenis,
Auſonidum tellus tincta cruore madet.
Fortis per media Auguſtinus funera luſtrat,
Noxia, nec peſtis ſpicula miſſa timet.
Nũquid Palladia præcinctũ ex Aegide dices?
Aelia, dum ſolus caſtra tuẽda ſubit. (ſtat,
Haud equidẽ; Auguſto clarus, ſi nomine prę-
Auguſtis animis, fata, nec arma nocent.

HYPOMNEMA.

ALludit hic ad eius Auguſtini, & Patris Auguſti conſpicuum nomen, quo felici ſub nomine, & omine Martia nihil, & funera aduerſantur phœnomena, Auguſtus ſemper in Chiſijs vigebit honos, & ab augendo deſumptum nomen; Auguſtinus poſteris Gentilibus, ſeriſquè Nepotibus felicitèr tranſmittet hæreditarium, vt nihil opus ſit, ad excitandos eorum animos, aureum illud Epigramma palmaribus litte-

litteris, vt audio, in laqueari paternis in ædibus Senis excisum, illustris vbi Picturis penicillo Cæsaris gesta ad virtutis aculeum, à Reparatæ salutis anno M. C. XL. Gentiles Chisij appingi voluerunt, quod sic sonat.

Fleuit Alexandri Cæsar, cum vidit honores,
Concepitquè animis æquora, Regna, Polum.
Inde triumphatum circumtulit arma per Orbem,
Tantum ingens virtus æmula facta potest.
Quisquis in hac igitur defigit imagine vultus,
Aemulus is magni Cæsaris esse velit.



Ad Eminentiſſimos S. R. E. Principes, Franciſcum Barberinum, Sacchettum, Sfortiam, Aſtallium, Otthobonum, Imperialem, Borromæum, Lantgrauium, Azzolinum, ab Alexandro VII. Pont. Max. ſuper ſanitatem, graſſante nuper in Vrbe Epidemia, conſtitutos.

EPIGRAMMA XII.

INtegra, cùm Romæ profertis iura ſalutis,
Se mortis ſeruam libera Roma videt.
Aurea Franciſci commendat munera linguæ,
Lãguida, quę morbis corpora melle replet.
Cùm ſua depromit præſtãtia iuſſa Sachettus,
Semper ab hoc miſeris profluit ore ſalus.
Sfortia, cũ Princeps mentis conſulta recludit,
Fortia, ſi fuerint funera, fracta cadent.
Diſſipat, hinc haſta Vrbanos Aſtallius angues,
Aſt alius Delphis Vrbis Apollo ſedet.
Si malus Auſonijs Ottho deſæuijt oris,
Alter ineſt Vrbi, ſed magis, Otthobonus.
Imperialis adeſt ſacro, ſed fulgidus oſtro,
Im-

Imperio linguæ temperat iste faces.
Hic Borromæus Caroli subiungitur heres,
E Patria ille, sed hic pellit ab Vrbe luem.
Emicat hos inter longè Lantgrauius Heros,
Qui grauis eloquio dira venena necat.
Azzolini fulgent Romano Sidera Cœlo,
Lumine, quo vitæ Roma recepit opem.
Vos igitur meritò Romanæ præesse saluti
Iussit, qui Latio regnat in Orbe Pater.

HYPOMNEMA.

PRæter eosdem Eminentiss. Princeps, saluti publiræ inuigilantes, adfuerunt Prælati dignissimi, qui non minori studio priscam Vrbi incolumitatem præstitere, quorum nomina in æternitatis fastis diutiùs, quàm nostra hac in tenui pagina insculpta prodibunt, quod si ea recensere liceat; hic adiecta typis mandauimus, & hi sunt, Illustrissimi DD. Franciscus Maria Baranzonus Vrbis Pręfectus, & Vice Camerarius, Excellentiss. Princeps D. D. Marius Chisius, Odoardus Vecchiarellius Prothonotarius Apostolicus, & Cameræ Apostolicæ Auditor, Iacobus Fransonus Prothonotarius Apostolicus, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarius generalis, Hieronymus Farnesius Pontificij Palatij Præfectus, Iulius Rospigliosius, Tarsensis Archiepiscopus,

& S.D.N. intimi Status à Secretis, Annibal Bentiuolus, Thebarum Archiepiſcopus, Aſcanius Riualdus, Cæſar Raſponus Sac. Conſultæ à Secretis, Hieronymus Caſtaldus, Matthia Naldus Senenſis S.D.N. à valetudine, Fabius Celſus, primus Pop. Rom. Conſeruator, Hyacinthus de Bufalis Deput. Dominicus Iacobacius Deput. Ioſephus de Annibalis, & Franciſcus Caſtagnaceus Rom. Pop. Fiſci Patronus; Quos inter in ſuis quiſque Regionibus Illuſtriſs. DD. Brunengus, Mutus, Carpineus, Mareſcottus, de Totis, Maculanus, Grimaldus, Creſcentius, Serlupius, Taſſius, Zelonius, Barbaricus, & Accorambonius effulſere, nec minus Illuſtriſſimi DD. Cerrus, Celſus, Caraffa, Montecatinus, Nigronus, & Roncionus, qui omnes æmulo ſtudio, huic è Romano Cœlo depellendę noxię Ati decertantes, non Lites ſtrabas, & claudas, ſed multoculas, & leuipedes egere. Faxint ſuperi vt, per quos Vrbi delapſa eſt è Cœlo ſalus, diù Ciues incolumes ſeruet.

F I N I S.

EPINICIA
AD COMITEM
DE CASTRILLO
NEAPOLITANORVM PROREGEM.

De Parthenophea Epidemia illic feliciter absumpta poetico calamo, adiectis Hypomnematibus, declamata.

A R. P. Fr. NICEPHORO SEBASTO

Eiusdem Ord. ac Neap. Coll. S.T.M. Archiepiscopalis ibidem Curiæ pro Em. Card. Caracciolo Archiep. Exam. Synod. S. Officij Regni, ac Indicis de Vrbe Consultore.



ROMAE,
Typis Michaelis Herculis Anno Iubilei 1675.

Superiorum permissu.

Illustriss. & Excellentiss. D. D.

GARTIÆ DE HARO ET AVELLANEDA,

COMITI DE CASTRILLO,

Neapolitanorum Proregi &c.



Andem aliquando, Excellentiss. Domine, Parthenope, quæ nouissimè persurentis inter Epidemiæ procellas, ingenti Populi clade fluctuauit, sedata tempestate, disiectoque calamitatum turbine nullum, nisi Te, sui maris Cynosuram respicit, & pristinæ suæ incolumitatis Auctorem veneratur. Huic ægrotanti, ac malè affectæ Syreni, omnes Æsculapij nepotes, adiunctis Auicennæ Machaonibus vale dixere, cùm nullum in morbos Mithridaticum, nullum in deficien-

cientem naturam Amuletum, nullum in venenum per inteſtina inſerpens Alexipharmacum, nullum denique liquorum genus in Epidauria pixide, quo Syrenem hanc ſoſpìtem redderent, in ſuis reperiere ſchedis: Tuum hoc opus, hic labor fuit, & feliciùs quàm olim Pythonem Apollo in Phocide deſæuientem, auſpicacius, quàm Alcides Hydram ſepticipitem in Lernæo lacu monſtra monſtris glomerantem, ac veriùs, quàm Perſeus palladia munitus Aegide, Meduſæos angues, mortalium animos deterrentes, à Parthenopeis oris peſtiferam luem; his longè, latequè horridiorem monſtris, protriuiſti, propuliſti, iugulaſti. Non abſque tamen diuina ope id geſtum reor, quam ſæpiùs in ſacro Deiparæ Virginis Conſtantinopolitanæ Templo piè admodùm ſollicitaſti; expertus reapſe, quo illa triumphans ad alta Cœli ſidera euolauit die, triumphali

li etiam aſſumptione monſtrum hoc horrendum ingens, ab ea peremptum, & ab Vrbe profligatum; hinc debitæ memor gratitudinis, qua luce in Matris gremio concepta, conceptam Populo. ſalutem, euulgaſti. Famem, quæ peſte ipſa, teſte Liuio, deterior, ac truculentior eſt, non minus auertiſti, quam procul in terrarum vltima ablegaſti; Martis ſanè noui belli furoribus, accenſam in Stabijs iram non formidaſti, quod non equidem miror, Cantabrico, vt potè, accinctus chalybe, à Gentilibus tuis, ibi Dynaſtis, acceptilato, vt qui Palladem in pectore ab Ephæbis, Salmanticæ, Hiſpaniarum Athenis, condideras, per quam meritò Regi carus in paucis, & vtrique notus Heſperiæ emicas, immo, & vbi Sol ad Heſperum vergit, ibi, & tuæ gloriæ Phoſphorus exoritur. Hinc finem dicenti facio, enixè rogans, & orans, vt hæc æquo animo, Epinicia, Tibi

de

de tanto hoste domito, oblata, in grati animi mei tesseram, excipias, Vale, Excellentiss. Domine, Regi, Patriæ, mihiquè. Romę ex August. Asceterio Kal. Aprilis, reparatę salutis, anno 1657.

Excellentiæ Tuæ,

Obseruantissimus

M. Fr. Nicephorus Sebastus, Melissenus, Ord. Erem. S. P. Augustini.

EPI-

EPINICIA

Ad Excell. DD. Gartiam de Haro, & Auellaneda, Comitem de Castrillo, Neapolitanorum Proregem &c.

De gentilibus eius, quibus insignitur, & Parthenopem seruauit, titulis.

EPIGRAMMA I.

GArtia, qua Populos erga Tu Gratia abūdas,
Perpetuò Syren Parthenopea canet.
Quàm rectè de Haro prçclaro sāguine fulges,
Dum miseris ægris Ara salutis ades.
Cumq; & Auellanedæ Tibi sit delata Corona,
Per Te iam meritò Pestis auulsa perit.
Castrillū Comitem totus Te nominat Orbis,
Nam rectè Patriæ castra salute vigent.

HYPOMNEMA.

EXcellentissimus hic Heros', nedum Parthenopem suis gentilibus titulis à pestifera luè liberauit, sed etiam ab immani annonæ caritate, & belli,

belli, quod si occiduum Orbem, cui sapientèr admodum olim præfuit, in Matritensi Senatu, ornauit, ac Famam sibi perennem comparauit, non minus Parthenope nuper hanc sibi debitam vindicauit, de quo adiectum epigramma me exarasse, memini; quod & si tanto Principi, & Iberiæ Columini impar, in Magnis voluisse sat est.

Ornasti Occiduum Castrillo legibus Orbem,
Dum Regni Præses cura fidelis eras.
Nunc alium decoras Orbem victricibus armis,
Id Latium vidit, Parthenopequè canit.
Quid mirum! Si sis Castrillo, id munera præstăt,
Nam per Te Com·tem Regia castra vigent.

Par erat, de Excell. D. D. Maria Gonzales, Delgadillo, & Auellaneda, inter Hispanas Matronas celeberrima, eiusque dignissima Coniuge, hoc aliud carmen, accinere.

Cùm Te Parthenope venientem vidit in vndis,
Syrenem Siculi credidit esse maris.
Illæ demulgent aures dulcedine cantus,
Tu magis adspectu flectere corda vales.
Illæ præcipiti minitantur in æquore mortem,
At Tu occulis vitam conciliare potes.



In

In Deiparam Virginem Assumptam, Quo die Epidemia Neapoli grassata vim remisit.

EPIGRAMMA II.

SVmpserat irati fulmē iam dextra Tonātis,
 Parthenopæ muris mille datura neces.
Iamquè venenatis trepidabant mænia telis,
 Et rea gens æqui senserat arma Dei.
Quis Populi potuit delere piacula sontis?
 Et tantas (dices) flectere voce minas?
Sponsa, Parensq; Dei, telū abstulit vna minātis,
 Et fera per mites dispulit arma preces.
At postquam miseris tulit exorata salutem.
 Aethereas sedes, tùm rediuiua petit.
Flammea par erat, vt funesti sidera Cœli
 Cessarent, quando sidera Virgo subit.
Nec minus, & longo victrix è funere surgens,
 Par erat, vt letho plebs redeuiua foret.
Aligeros iubilis repetens, si Virgo repleuit,
 Cur, & non ægris gaudia prima daret?
Laomedonteæ sileant miracula Troiæ,
 Palladis, haud signū Troes ad astra ferant.

Maius adeſt hic portentū, pro Pallade Virgo,
Pro Troiæ muris mæſta Neapolis adeſt.
Præſtitit optatam Pallas, ſed Virgo ſalutem,
Illa manendo dedit, hæc abeundo tulit.
Quid Tibi Parthenope liceat promittere; Cęlū
Si tantam repetens dat Tibi Mater opem?

HYPOMNEMA.

DE Palladis ſimulacro in Arce Troiana, Cœlo delapſo, eo potiſſimum tempore, quo Arx illa, & Mineruæ Templum, Laomedonte Vrbis Conditore ædificabatur; vide Virgilium *Lib. 2. Æneidos*, vbi præcise oſtendit, quamdiù Palladium illud in Arce Troiana ſeruatum eſt, tamdiù tuta ab hoſtibus, & incolumis Troia extitit; de quo ſic.

Omnis ſpes Danaum, & cæpti fiducia belli,
Palladis auxilijs ſemper ſtetit impius, ex quo
Tydides ſed enim, ſcelerumquè inuentor Vlyſſes
Aggreſſis Diuæ ſacratum auellere Templo
Palladium cæſis ſacræ cuſtodibus arcis.
Corripuere ſacram effigiem. ———

Idem affirmat Ouidius *Libro 13. Metham.* vbi ſic.

——— *Tydidis crimina noſce,*
Qui Laertiadæ quondam ſociatus Vlyſſi,
Iliadum columen ſanctum depreſſit ab arce

Pal-

Palladium, quo tracta malo, qua vindice Diua
Orba per Argolicas ceciderunt Pergama flāmas.

At Parthenope veriùs per Deiparam Virginem ad Cœlum assumptam, quàm Troia per Palladem e Cœlo delapsam, pristinam salutem experta est, eiquè passim verè innotuit præconium illud Bernardi ad eandem Virginem; *Sermon. 4. de Assumps.* circa medium, vbi sic; *Sit pietatis tuæ, ipsam quam apud Deum gratiam inuenisti, notam facere Mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo,*



Ad eandem Deiparam Virginem Conceptam, quo die Neapoli pro abſumpta Epidemia publica ſalus denuntiata eſt.

EPIGRAMMA III.


(ceps,
ASſyrius Solymæ cingebat mænia prin-
Hoſtiles minitans ſternere Marte lares.
Aduolat æthereo miles demiſſus Olympo,
Qui valida fundit caſtra inimica manu.
Turbabant Patrios hoſtilia funera muros,
Feſſaquè ſub dira peſte gemebat humus.
Angelus haud iſtam; Virgo Cōcepta repreſſit,
Attulit ille necem, ſuſtulit iſta necem.

HYPOMNEMA.

HAnc Hiſtoriam de Angelo Sennacherib, exercitum Aſſyriorum ſternente reperies *Lib. 4. Regum cap.* 19. vbi ſic; *Factum eſt igitur in nocte illa venit Angelus Domini, & percuſſit in Caſtris Aſsyriorum centum octoginta, quinque millia.*

Cum-

Cumquè diluculo surrexisset vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abijt. Solusquè Sennacherib in tanto Angeli excidio seruatus est, & idcircò, teste Hieronymo *Com.38. Isa; Vt sciret potentiam Dei, & blasphemantia ora comprimeret, fieretquè testis illius Maiestatis, quem paulo ante contempserat*; quod si illam Solymæ Vrbem, propter Dauid seruum suum, vt ibidem habes, seruauit Dominus, Parthenopem, non per seruum aliquem, sed per Deiparam seruorum Dominam seruauit.



Ad eandem.

De eodem argumento.

EPIGRAMMA IV.

NEptunus validis in littora ſæuiat vndis,
Aeolus, & tumidis ſidera pulſet aquis.
Alcyon in ſcopulo tectum ſi conſtruat, omnis
Vndoſi præceps decidet ira freti.
Aeſtuet admiſſis Vrbs Parthenopea venenis,
Sanguinis, & calidas fluctuet inter aquas.
Exprimit Alcyonem Virgo Concepta, ſalutē
Nuntiat illa ſalo, nuntiat iſta ſolo.

HYPOMNEMA.

ALcyonem in ſcopulo, quæ maris tranquillitatem portendit, innuit Ariſt. *Hiſt. Lib.* 5. *cap.* 8. his verbis; *Alcyon circa brumam parere ſolita eſt, quamobrem, quoties bruma ſerena exiſtit, dies Alcyonæi appellantur.* Cui etiam ſe ſubſcribit Plinius *Lib.* 10. *cap.* 32. his verbis.

Sol-

Solstitio brumali maximè sunt insignes Alcyones, dies earum partus, maria, quique nauigant, nouere. Et paulum infra sic. *Fætificant bruma, qui dies Alcyonides vocantur, placidò mari per eos, & nauigabili.* Eadem ferè narrat Sanctus Ambrosius *In Hexameron*, vt apud eundem videre est; cuius Auis symbolon esse Deiparam Virginem, passim ostendunt Sancti Patres, quæ Tyronibus etiam nota sunt.



Ad eandem.

De eodem argumento.

EPIGRAMMA V.

(turmas,
ISacidum meditans Holophernes vincere
Non ſibi bellãtem credit in Orbe parem.
Vt Ciues ſaluet, fortem quæſiuit inermis
Iuditha, & ſumpto diſſecat enſe caput.
Sic dũ *Parthenopes* credit ſubuertere muros
Sæua lues, diras cogit ad arma manus.
Virginis in feſto Conceptæ abſumitur, vnde
Et Patriæ fulſit, Parthenopeſquè ſalus.

HYPOMNEMA.

HAnc Hiſtoriam de Iuditha Holopherni caput excidente reperies *In Libro Iudit capit.* 13. Iuditham verò Deiparæ Virginis vmbram, & figuram eſſe, nullus eſt, qui in ſacris litte-

litteris, parum licèt versatus, non affirmet; de qua vnum multorum adinstar habes Didacum de Celada, *Tract. append. de Iuditha figurata in Prologo*, vbi Iudith vmbram esse Marianæ lucis luculentèr ostendit, ad quam illustrandam, verbis illis D. Gregorij apud Thomam Ibernicum, innititur. *Vmbra non aliter exprimitur, nisi per lumen, & corpus. Virtus altissimi Mariam obumbrat, quid in eius vtero lux incorporea corpus assumpsit.*



Ad

Ad eandem

De gratiarum actionibus, in Byzantina eius Aede à Populo Neapolitano editis.

EPIGRAMMA VI.

NOn prius irati requierunt fulmina Cęli,
Cōcepta in gremio, quā pia Virgo foret.
Cur dices? Stygij hic caput exitiale Draconis,
Conterit, & victrix noxia fella fugat. (ris,
Sic modò Parthenopes trepidis disiecit ab o-
Lethales anguis, quas vomit ore faces.
Aurea sic redeunt mutato sæcla metallo,
Venit Io populis, venit amica salus.
Nunc Byzantinæ meritò Genitricis in Aede,
Plebs bona det grates, det pia thura, preces.
Per quam iterum gentes optatæ signa salutis,
Et Superum pulsa peste fruuntur ope.
Extulit è medio quondam Byzantion igne,
At modo Parthenopes dispulit vna neces.

HY-

HYPOMNEMA.

NEapolitani omni æuo in Deiparam deuoti extitere, idque Alex. VII. Pont. Max. cultissimus Hetruriæ Vates, & ipse in eandem affectus, latino plectro luculenter testatur, in libro suo, cui titulus est, *Musæ Iuueniles*, cùm Melita per Neapolim Romam contenderet, quo in itinere Cryptam Puteolanam inuisit, & Deiparam ibi religioso cultu veneratam, hoc depixit Elogio.


Antrum Relligio seruat, mediumquè Mariæ
Excolitur numen, paruaquè è lampade fulget.

Sed quantum in Virginem Constantinopolitanam, Neapolitani sint affectu procliues, ob liberatam Vrbem, & Regnum elapso seculo, clarè liquet ab Æde illa in gratitudinis tesseram eidem extructa, plerisque decorata piorum elogijs, nunquam apud posteros, intermorituris, de qua consule Michaelem Abbatem Iustinianũ, sui ingenij monumentis à se editis satis notum, in Libro suo vulgari idiomate exarato, cui titulus est, *Origine della Madonna di Constantinopoli*, Romæ pridem typis edito, & Excellentiss. D. D. Francisco Marino Caracciolo Abellinatum Principi, dicato. Qui nuper Neapoli, qua bello, qua pace maximè celebris, & sui magno desiderio relicto ex hac vita decessit. Faxit Deus,

vt Syren hæc Parthenopea, ne tumidis amplius in fluctibus, ac sæuis in tempestatum turbinibus, sed in placato mari secura, tutaquè in littore sedeat.

FINIS.

Ad maiorem Dei Optimi Maximi, Deiparæ Virginis sine labe Conceptæ, Sanctorumq; omnium gloriam.



Magister Fr. Nicolaus Oliua Senensis Ord. Erem. S. Augustini Prior Generalis.

VIta B. IOANNIS CHISII Senensis Ord. nostri, itemquè D. Angelæ Chisiæ eiusdē Neptis, ac Ordinis Sanctimonialis Vitæ Synopsis, & Epinicia ad Alex. VII. P. M. in Epidemiam ab Vrbe profligatam à Reu. P. M. Fr. Nicephoro Sebasto Neap. S. Officij Regni, ac Indicis de Vrbe Consultore poetico calamo, adiectis Hypomnematibus, delineata, ac typis edita; nunc denuò ab eodem in paucis aucta, & illustrata; quæ cùm infrascriptus Reu. P. Mag. Fr. Camillus Canali à Monte Ilcino noster Prosecretarius, & Neap. Studij Regens, cui censuram commisimus, recognouerit, & iterum in lucem edi posse probauerit, tenore præsentium facultatem concedimus, vt typis mandentur; si ijs ad quos pertinet, ita videbitur; In quorum fidem has litteras nostri muneris sigillo munitas dedimus in hoc nostro Conuentu S. Augustini de Vrbe, hac die 15. Septembris 1675.

Fr. Nicolaus Oliua Prior Gen.



Locus † sigilli.

M. Fr Camillus Canali à Monte Ilcino Prosecret. ac Neap. Studij Regens.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

I. de Ang. Arch. Vrb. Vicesg.

Iterum imprimatur.

Fr. Raimundus Capisuccus Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Mag.

Ad usū P. Ludovici à S.ᵗᵃ Lucca

